DE

FAMILIARI PATRICIORUM NEXU.

S c r i p s i t

Carolus Fridericus Heiberg,

[illegible]

[illegible]

[illegible]

DE

FAMILIARI PATRICIORUM NEXU.

Scripsit

Carolus Fridericus Heiberg,

patronus causarum Slesvicensis.

Slesvici

Typis Surdorum MDCCCXXIX.

Viris illustribus

Andreae Guilielmo Cramero

Antecessori, Regi a consiliis status, Ord. Danebrog. Equiti aurato. Dr. utr. iuris et philos.

et

Friderico Carolo de Savigny

Antecessori, Regi a Summis consiliis status, Ord. aquil. rubr. et ferr. cruc. insigni. Dr. utr. iuris et philos.

magistris suis summe venerandis

in exiguum pietatis documentum

offert

munusculum levidense

autor.

„So lange man sich selbst ganz verschliesst, ist man nur halb das, was man weiss. Erst in dem gemeinsamen Denken, Empfinden, Erregen und Erregtwerden geht Leben und Genuss auf."

Solger I. p. 158.

Conspectus.

Praefatio.

Praemonitum.

Ut mihi tenuis quaedam venia fiat excusationis, quod ego, causarum patronus, dissertationem hanc conscribere institui, rationes, quibus imprimis sum commotus, breviter explicabo. Finitis enim academicis studiis et post examina legitima tam facultates tam aliarum asperitates rerum in loco natali ante quinquennium causarum patronum me fecerunt: quamvis animus, si quid in me est ingenii, ad professionem academicam potius capessendam me tulit. Neque usus forensis hoc studium ullo modo usque adhuc exstinguere potuit; ideoque, quia causae forenses mihi incipienti, stipato magno clarissimorum actorum numero, ingenio et doctrina excellentium, iam initio otii aliquantulum reliquerunt, obsecutus sum iurisprudentiae elegantioris ac philosophiae studiis ad excolendam doctrinam via historica et philosophica. Alliciebant me autem — cui contigit esse Savignii, pie venerandi, discipulo — maxime Romani iuris primordia, quo-

niam ex his exiguis duorum populorum (Etruscorum et Latinorum) initiis ius civile adeo crevit, ut fundamentum totius nostri aevi iuris disciplinae factum sit. Quamvis nuperrime Niebuhrius, scriptorum nostri aevi clarissimus, plurima in rerum Romanorum primordiis illustravit, tamen antiquissimi iuris primae origines proximaque originibus a nostris iurisconsultis adhuc praetermissa paene mihi videntur. Quare — quamvis hoc coeptum, cum tempora nostra summis abundent iurisconsultis, vel periculosissimum fore videatur — ex his pauca dare ausus sum.

Slesvici. Dabamus Calend. Nov. 1828.

Caput I.

De familiae apud Romanos notione.

§. 1.

Genera si vellem iuris familiae describere non modo in tot Italiae gentibus varia, sed etiam in Romana re publica duplex demonstrarem. Attamen ius familiare neque in Italia, neque in Graecia suam originem habet; apud antiquissimas enim Asiae gentes haec iura inveniuntur. Familiae enim iura cum fundamentum rei publicae sint [1]), cum humana vita, temporum tractu, ad perfectiorem statum excoluntur. Nam, ut singuli homines, sic humanum genus per gradus progreditur; quare artem eius vivendi et libertatem, ad quam pervenit, tantum ex cuiuscunque populi institutis, moribus, consuetudinibus cognoscere possumus. Nunc autem si Romanae civitatis instituta adspicere et oculis collustrare volumus, duo elementa nobis occurrunt, quae variis modis partim in Orientis imperiis, partim in Graeciae civitatibus effloruerunt. Vetustissima Orientis regna naturae formis respondent; imagines quasi illarum totius naturae legum, quae multis saeculis sacerdotum sapientia observabantur. Graeciae autem civitates maximam partem humana volun-

1) Cic. de finib. bon. et mal. V. 23. In omni honesto etc. cf. Hegel. Grundlinien der Philosophie des Rechts §. 157. sq.

tate constitutae sunt, qua ex causa in Hellade heroes etiam earum fundatores atque legislatores nominantur; in Asia autem numen divinum sive Deus. In Romana re publica, si eius annales perscrutaris, ubique et naturalis sive divina [2]) et humana vita tibi elucet. Romani divinam suae civitatis originem haud immerito celaverunt [3]), humanam vitam ab Romulo, heroe tanquam [4]), incipientes. Inveniuntur igitur duae gentes in eorum civitate, Etrusci atque Latini, qui Romuli temporibus atque deinde Patricii et Plebeii nominati sunt. Res divini iuris sunt Patriciorum, eorumque nonnulla familiae iura hac disquisitione perscrutabor, in alium locum discrimina, quae modo tetigi, differens.

§. 2.

Familia sensu latiori complexus hominum est, qui naturali quodam vinculo cohaerent [5]). Apud Romanos notio familiae variis temporibus varie accipitur. Romani enim verba antiquissima tanquam naturae formas conservarunt, quia in eorum vita atque historia fundamentum orientale usque ad ultimam aetatem permansit. Posteriora autem saecula suos sensus atque notiones paulatim ex ratione natas verbis et formulis antiquissimis exprimunt. Notio verborum igitur distinguenda est secundum temporum

---

2) Duplex omnino est religio, vel naturae vel spiritus; ideoque veterum religio naturalis, divina dici potest, quia res divinae e natura ab iis haustae sunt. Qua ex causa Zeno naturalem legem divinam esse censet. Cic. de N. D. I, 14; quare etiam vis divina — L. 24. §. 4. D. (39. 2) — vis naturalis dicitur, cui humana infirmitas resistere non potest. L. 59. D. (19. 2).

3) De hac re alio loco.

4) Cic. de leg. ed. Moser et Creuzer II. 8. p. 204.

5) Cf. Mühlenbruchii doct. Pandect. ed. sec. II. p. 50.

seriem; qua ex causa Festus [6]) ait: familia antea in liberis hominibus dicebatur, quorum dux et princeps generis vocabatur pater et materfamilias. Hunc maximi momenti locum diligentius perscrutemur. Primo enim quaeritur, qui antiquissimis temporibus liberi nominati sint? Fontes inspicienti occurrit praeter alias leges Lex 5 D. pr. de statu hominum, in qua invenitur: liberorum autem hominum, quidam ingenui sunt, quidam libertini [7]). Ingenui autem dicti, ut ait Isidorus [8]), qui *genere* habent libertatem non in facto, sicut liberti. Hi enim, quia servi erant e servitute manumissione liberati, *liberti* dicti, at nunquam antiquissimis temporibus liberi fuerunt, sed liberti tantum. Liber sensu proprio tantum ex ingenuis ortus est [9]). Ingenuorum ergo gnati sive filii [10]), liberi nominati sunt [11]). Familia igitur antea in liberis hominibus

6) Festus s. v. Familia.

7) Cf. Theop. §. 5 (1. 3.) pr. (1. 4.).

8) Isid. Orig. IX. p. 221. Ingenui dicti, qui in genere habent libertatem non in facto, sicut liberti; libertus autem vocatur quasi liberatus. Erat enim prius iugo servitutis addictus; manumissus dicitur quasi manu emissus. Apud veteres enim quando manu emittebant, alapa percussos circumagebant et *liberos confirmabant.* —

9) Festus s. v. liber, ibique in Nota: Nempe Liberum Bachum dici hebraea phrasi qua horim vocantur principes i. e liberi etc. cf. Festus s. v. *Liberales* dicuntur non solum benigni, sed etiam *ingenuae* formae homines. — Puberes liberi dicti sunt, ideoque ludi, eorum causa instituti appellati *Liberalia*, qui etiam *honorarii* dicti, quia puberes sive liberi ad honores adsciti sunt. cf. §. 5. Non ignoramus, initio Patricios tantum honores gessisse. cf. Fest. s. v. honorarius. Serv. ad. V. A. VII. 397. 398.

10) L. 84. D. de V. S. ed. Cramer. cf. Gellii Noct. Att. II. 13.

11) Affirmatur nostra sententia Numae lege: Si quis hominem *liberum* dolo sciens morti duit paricida est. — Nam paricida

i. e hominibus patricii generis dicebatur, quorum dux et princeps generis vocabatur pater et materfamilias [12]. Priscae ergo familiae cum patribus fuere *universitates patriciae*, quare etiam Festus patricias tantum celeberrimas familias ad familiae notionem illustrandam profert [13]. Ob hanc causam Cicero [14]) non minus rectissime patrum filios patricios esse dicit, ac Festus affirmat patres eos appellari, qui sint patricii generis [15]), nam Patres et Patricii in veteribus aucto-

---

est, qui parem i. e aequalem caedit. Aequales autem initio Patricii erant. Maximi momenti propter Patriciorum et Etruscorum originem est paricidae poena, quae, Modestino referente, more maiorum cf. §. 19. institutum est.

12) Gell. N. A. V. 19. et tutoribus in pupillos tantum esse anctoritatem potestatemque *fas* non est, ut *caput liberum* fidei suae commissum alienae ditioni subiiciant. *Libertinos* vero ab *ingenuis* adoptari quidem inre posse Massurius Sabinus scripsit. — Hoc loco ingenui sive liberi opponuntur libertinis; quare apud Ictos liberi et servi tantum distinguuntur, ad quos deinde liberti accesserunt L. 4. D. de iust. et iure. cf. Serv. ad V. A. VIII, 564. — Tractu temporis voce liber sensu latiori Romani utebantur, cum liberti liberi fierent. — Liberi ergo initio fuerunt ingenuorum sive Patriciorum filii *ad generandum maturi;* deinde haec appellatio extendebatur ad eos filios qui sui iuris sunt L. 56. §. 1 D. de V. S. Cf. Brisson. de V. S. s. v. liber 2. — postremo mancipia i. e. plebeii (vide infra §. 13) censu liberati, liberorum appellatione continebantur, quare partim ingenui sive honestiores et plebeii opponuntur. Roßhirt Lehrbuch des Cr. R. p. 130; partim ultimis temporibus ingenui et liberi confunduntur. Cf. L. 25. D. de statu hom. (1. 4.)

13) Festus s. v. familia — unde familiae nobilium Pompiliorum, Valeriorum, Corneliorum et familiares ex eadem familia. Cf. Serv. ad Virg. A. V. 117.

14) Cic. de re publica ed Moser et Creuz. II. 12. p. 241. — ut eos (optimates) patres vellet nominari, patriciosque eorum liberos.

15) Fest. a. v. adlecti. — Pater est sacrum vocabulum. — Huius vocis originem ex hebraica lingua derivat Eisner in libro: die Mysterien der alten Pelasger p. 347 et 349. Quare Servius

ribus semper confunduntur [16]). Patres vel Patricios antiquissimis rei Romanae temporibus ingenuos fuisse [17]), neminem fugit, ingenuosque Patricios, tanquam patrum progeniem appellatos esse, quod Livius dicit [18]). Quam Patriciorum dignitatem probat non solum Publius Decius Mus, infesto illis animo, sed etiam Appius Claudius Patriciorum iura acerrimo ingenio defendens [19]). Ille ait: En unquam fando audistis, patricios primo esse factos, non de caelo demissos, sed qui patrem ciere possent, id est, nihil ultra *ingenuos* [20]). Quare autem patriciis ingenuorum nomen erat? quia, ut mihi videtur, singuli ad quoddam genus feruntur [21]), cuius dux et princeps paterfamilias est. Nunc satis apparet: patricios memoriae prodidisse maiores suos, nam Patricii sive ingenui tantum patres ciere potuerunt, quia (iustis) nuptiis procreati erant. Familia ergo complexus liberorum hominum i. e. patricii generis dicebatur quorum dux et princeps pater et materfamilias vocabatur. Liberi, filii filiaeque familias nominati sunt.

ed. Lion ad Virg. Aen. I, 699. Jam pater Aeneas dicit religiosus, quia pater proprie omnium Deorum epitheton est, ut ubique ostendit Virgilius; cf. Serv. l. c. I, 65. III, 35. II, 2. inde toro pater Aeneas, ubique quasi sacratus, ut flamen et pontifex inducitur.

16) Cf. infra c. v.

17) Fest. s. v. Patricios, Cincius ait in libro de comitiis, eos appellari solitos, qui nunc ingenui vocentur.

18) Livius I, 8. Plut. Rom. c. 12.

19) Liv. VI. 40. An hoc, si Claudiae familiae non sim, nec ex patricio sanguine ortus, sed unus Quiritium quilibet, qui modo me duobus ingenuis ortum, et vivere in libera civitate sciam, reticere possim?

20) *Liv.* X. 8.

21) De genere et gente cf. §. 19. Nota 23. Ingenuus autem est, qui ad genus seu gentem pertinet cf. Fest. s. v. in et ingens.

Haec familia divino tantum iure dissolvi potuit, si unus liberorum hominum aut sacerdotii honores adeptus est aut morte ereptus. Nam filia familias confarreatione e familia sua in aliena locata, more antiquissimo, pro sacerdote semper honorata est [22]).

22) Materfamilias sive, ratione clientium habita, matrona stola etiam vestita erat; stola autem sacerdotis s. patriciorum vestimentum; cf. e. g. Plin. Hist. Nat. XXXIII. c. 3. Materfamilias nempe iis quae ad Penatum cultum pertinebant adornandis commodabat industriam. Horat. Epod. II, 39 sq. Plaut. Rud. IV. 6. 1.

Caput II.

De sacris familiae eorumque participibus.

§. 3.

Definitio familiae, quam Festus nobis suppeditat, quaestionem movet, quinam in liberis hominibus comprehendantur, et quonam interno vinculo, qui eiusdem familiae erant, coniungantur? Familiae appellatione non solum liberi sed etiam mater et paterfamilias continentur [1]), ut supra diximus. Internum vinculum sunt sacra; externum, si licet uti hoc discrimine, est patria potestas, de qua suo loco plura dicemus. Sacra autem sunt apud Romanos nocturna atque diurna [2]) et quidem publica et privata [3]); privata olim pro singulis hominibus, familiis et gentibus fiebant [4]).

---

1) L. 195 et 196. D. de V. S.

2) Macrob. Satur. I, c. 3. Sacra enim Romana partim diurna, partim nocturna. — Romani diurna fulmina Jovi, nocturna Summano attribuebant. Plin. H. N. II, 52. cf. Fest. s. v. Dium. Varro Janum apud Tuscos coelum dici autor est et praesidem omnis actionis. Anysius Februum inferum esse Thuscorum lingua ait.

3) Fest. s. v. Publica sacra. — Privata sacra, gentilitia etiam nominabantur; cf. Dionys. Halicarn. ed. Sylb. I, p. 92. II, p. 125.

4) De sacris Romanorum privatis cf. v. Savigny: Zeitschrift für histor. Rechtswissenschaft II, 3. 15. et Creuz. ad Cic. de leg. p. 501 sq.; nam de iure sacro hoc loco disserere longum est.

Quid autem est sacrum? [5]) In libris sacrorum refertur, sacrum dici, quod rite sacratum [6]). Ritus autem est institutum religiosum, caerimoniis consecratum [7]). Sunt igitur sacra familiae, celebritas et ritus, quibus familia in administrandis uti solet [8]). Quisque enim Patricius suis in penetralibus numen divinum tanquam suos Deos domesticos habebat, quos privatis feriis colebat. Sacra sunt fundamenta et vincula interna familiae; haec dissolvi non potest sine sacrorum perturbatione, interitu et solutione. Ea igitur a familiis perpetuo administranda et conservanda, quibus neglectis, tota familia interit, sicut Potitiorum genus intra breve tempus extinctum est, quia Appius Potitiorum familiam corrupit pecunia, ut servos publicos hoc sacrum docerent. Nam in Herculis sacris nec servi intererant nec liberti. Hercules autem familiae Potitiorum atque Pinariorum, quomodo se coli vellet, ostenderat. Cum igitur Appius haec sacra in libertos sive ut quidam volebant in servos publicos i. e., si mihi credas, in plebeios transtulisset, omnem familiam Potitiorum perdidit [9]). Ex qua sacerdotum historia, quam nostra exculta aetas vanam fabulam tantum appellat, tibi elucescat sacra et familiam semper apud Romanos coniuncta fuisse et utraque coniuncta floruisse et periisse. Quare in duodecim tabulis lex lata sive mos confirmatus: sacra privata perpetua manento [10]). Interna sacrorum ratio ex reli-

5) De genuina sacri significatione infra §. 22.

6) Serv. ad Virg. Ecl. VII, 31. Macrob. Sat. III, c. 3. c. 7.

7) Serv. ad Virg. Aen. XII, 836.

8) Sacra celebritas est, vel cum sacrificia Diis offeruntur: vel cum dies divinis epulationibus celebratur: vel cum ludi in honorem aguntur Deorum, vel cum feriae observantur Mac, Sat. I, c. 16.

9) Cf. Serv. ad Virg. Aen. VII, 179. 269.

10) Cic. de leg. II, 9. p. 223.

gione veterum, praecipue e disciplina Etruscorum et Orientis gentium haurienda est. Eis enim, ut caeteris antiquitatis populis, tota quidem natura numen fuit, sed nihil praeter naturam [11]). Divina res tanquam aeternum procreandi et gignendi principium maxime colebatur [12]), sed apud varios populos varie. Etrusci e. g. quia, ut iam alii docuerunt, cum quibusdam Asiae gentibus cohaerent [13]), numen et naturam Janum appellabant, quem coelum, solem, vitam, annum, diei dominum portamque esse voluerunt, in quibus omnibus ortus est et occasus [14]). Qua ex re apud omnes antiquitatis gentes duo principia colebantur, quod Samothracum initia docent. Principes Dii sunt coelum et terra sive mas et femina, quare apud veteres animalium semen ignis dicitur [15]). Temporum tractu aliae notiones et ideae de numine excultae sunt; at antiquissimis populorum temporibus *principium procreandi et gignendi*, quod in tota natura variis modis conspicitur, solum *pro divino* habitum

---

11) Cf. e. g. Plin. H. N. II, 1.

12) Hanc materiam dilucidare conatus sum in singulari libro, quem conscribere inchoavi, inscriptum: die Idee des Eides und Meineides in der alten und christlichen Welt.

13) Rossi: Geschichte Italiens p. 87.

14) Laurent. de mensibus p. 48 sq. Macr. Sat. I, c. 9. Ovidii Fast. I.

15) Varro de lingua latina ed. Spengel Berolini 1826. V. p. 65. — Ob hanc causam docti antiquitatis homines i. e. philosophi in illustranda re publica ab his elementis ordiri solebant. cf. Cic. de re public. I, c. 24. p. 102 sq. Cic. de officiis I, c. 17. cf. Plato de leg. III. Arist. Polit. I, c. 1. Nam cum sit hoc natura commune animantium, ut habeant libidinem procreandi, prima societas in ipso est coniugio: proxima in liberis: deinde una domus, communia omnia. Id autem est principium urbis et quasi seminarium rei publicae etc. Cf. Cic. de fin. bon. et mal. V, 23.

esse, neminem latet, qui, nostris ideis relictis, instituta veterum attente perscrutetur, nam tota antiquitas huius rationis argumentis imbuta est [16]). Cum autem in quoque homine, in quaque familia et gente hoc principium ut divinum coleretur, Dii familiares Penates appellabantur [17]). Lares autem fuere manes defuncti patrisfamilias [18]): errant igitur doctissimi, qui Lares et Penates confundunt, quamvis veteres quoque eos non semper distinxerunt.

§. 4.

Ista vero sacra privata curae principis familiae commissa erant — ut perpetua servarentur, nec alienis ritibus turbarentur. Dux et princeps familiae fuit pater et materfamilias. Quamvis nuptiae sunt fundamentum totius familiae iuris, quia ex iis liberi nepotesque gignuntur, tamen hoc loco, ne longus sim, praetereundae sunt. Ex multis enim argumentis probari potest, connubium inter Patricios confarreationem appellatam fuisse [19]), qua, solemni sacrificio interposito, vinculum ortum, quod morte et divino numine

16) Vide e. g. Glossarium eroticum linguae latinae. Parisiis 1826; adspice veterum religionem, nostris ideis relictis, atque eorum mores i. e. antiquissima populorum iura. cf. Eisner l. c. — Joan. Laurent. de mens. p. 76. 137. Mac. Sat. I, 9. Janus Consivius a serendo i. e. a propagine generis humani quae Jano autore conseritur. Cf. Henkes Zeitschrift für Staatsarzneikunde VIII, 1. 1828. p. 105.

17) Serv. ad Virg. Aen. III, 12. qui ideo penates appellantur, quod in penetralibus aedium coli soleant, nam et ipsum penetrale penus dicitur; vel Penates erant dii familiares.

18) Serv. l. c. VI, 152. Apud maiores, omnes in suis domibus sepeliebantur; unde ortum est ut lares colerentur in domibus; unde etiam umbras, larvas vocamus: nam *dii penates alii sunt.*

19) Quod iam doctissimi Icti coniecerunt, inter quos palmam praeripuit Wächter.

tantum dirimi poterat. Materfamilias autem confarreatione, penatum patrocinio commendanda, particeps bonorum et sacrorum viri facta est [20]). Ne viri sacra alienis ritibus perturbarentur, mulierem confarreatione locatam e sua familia ac sacris omnino egredi necesse erat, ut neminem latet. Quisque paterfamilias administrator et curator familiae sacrorum fuit, et igitur herus sive heres i. e. sacerdos [21]) suae familiae. Eum conspicies ad focum in atrio, quod ab Etruscis acceptum [22]), in principum aedibus invenies, ut Laribus et Penatibus sacra faceret, imaginibus maiorum stipatis. Apud maiores, dicit Plinius, in atriis imagines erant, quae spectarentur, non signa externorum artificium, nec aera aut marmora; expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quae comitarentur gentilitia funera, semperque

20) Dion. Halic. II, p. 95.

21) Herus s. heres i. e. sacra faciens, originem habet a graeco ἱρδειν, sacra facere; vide Ballhorn-Rosen: Ueber Dominium p. 126. Not. 127. 128.

22) Fest. s. v. *Atrium* proprie est genus aedificii ante aedem continens mediam aream, in quam collecta ex omni tecto pluvia descendit; dictum autem atrium vel quia id genus aedificii Atriae primum *in Etruria* sit institutum, vel, quia a terra oriatur: quasi aterreum. — Varr o l. c. V. p. 33. 161. Atrium appellatum ab *Atriatibus Tuscis;* illinc enim exemplum sumptum. — Fortasse atrium ab atro derivandum; *atro* enim Persarum lingua, quae Zend vocatur, *ignis* dicitur. cf. etiam §. 7, Nota 17.

23) Serv. ad. Virg. Aen. I, 726. *Atria,* ut supra diximus, tangit morem Romanorum. Ibi etiam pecunias habebant; unde qui *honoratores* [servi] erant, liminum custodes adhibebantur; — melius tamen esse videtur adhibeant. — Nam non in omnibus domibus, atrarii seu atrienses i. e. custodes atrii erant. — Alii dicunt, Atria Etruriae civitatem fuisse, quae domos amplis vestibulis habebat, quae cum Romani imitarentur atria appellaverunt.

defuncto aliquo totus aderat familiae eius qui unquam fuerat, populus [24]. Horum sacrorum, ut supra memoravi, participes fuerunt materfamilias [25] liberique; nam filii et filiae familias, patrefamilias mortuo, sui heredes appellati sunt [26]. De ceteris, qui familia continentur infra latius tractandum est, hic nonnulla de liberis exponenda, ut opinionem nostram validis argumentis defendamus.

§. 5.

Infantibus [27] Patriciorum octavo et nono die, quia his lustrabantur, nomina imponebantur [28]. Filii deinde a patre administrare sacrificia edocti, ut huic officio [29] pares essent [30], ab etrusco verbo casmilus,

---

24) Plin. Hist. Nat. ed. Jos. Frobenius Bas. 1525. XXXV. c. 2. — Patricii tantum, quia sella curuli erant insignes, hoc imaginum iure gavisi sunt. Polyb. Hist. VI. 33.

25) Cf. g. Serv. ad Virg. Aen. IX, 217. nam matres non nisi *nobiles* dicimus; nobiles autem fuerunt antiquissimis temporibus Patricii. Fest. s. v. familia. — *αἱ δὲ σώφρονες γυναῖκες (ματρώνας δὲ αὐτὰς οἱ Ῥωμαῖοι καλοῦσιν)* Laurent. l. c. p. 176. — Fest. s. v. Materfamilias.

26) Gaius Inst. edid. Göschen III. §. 1 et 2.

27) Non. Marcellus ed. Lips. 1826. s. v. Infans. Infantes a non fando; nam postquam coeperant fari puelli dicebantur. — Hominem, dicit Plinius, tantum nudum et in nuda humo natali die abiicit natura ad vagitus statim et ploratum. Varro Pilumnum et Picumnum infantium Deos esse ait, iisque pro puerpera lectum in *atrio* sterni, dum exploretur, an vitalis sit, qui natus est. Serv. ad Virg. A. X, 76. — Natus si erat vitalis ac *sublatus* ab obstetrice statuebatur in terra, ut auspicaretur rectus esse: Diis coniugalibus Pilumnus et Picumno in *aedibus* lectus sternebatur. Non. Marc. p. 528.

28) Lustrici dies infantium appellantur, puellarum octavus, puerorum nonus, quia his lustrantur, atque eis *nomina* imponuntur. Fest. h. v. Mac. Sat. I. c. 16.

29) De officii notione vide infra.

30) Serv. ad Virg. Aen. IX, 626 bene ipse, quia adhuc pro Ascanio

camilli nominati sunt. Camillus autem puer ingenuus dicebatur, et minister sacrorum fuit, patrefamilias vivente [51]). Quod si meum iudicium quaeris, pueri ingenui praetextati esse videntur [52]) et quidem impuberes [53]). Camillorum insigne bulla aurea fuit, quae iis dependebat a pectore, ut significaretur, eam aetatem alterius regendam consilio, quod Festus s. v. bulla confirmat [54]). Quo tempore inves-

pater solebat sacrificare, nam ideo et *sollemnia* ait, quae fieri solerent, ut se ostenderet, si victoria et pax esset secuta etiam illius *officii capacem* esse.

51) Statius Tullianus de Vocabulis rerum libro primo ait: dixisse Callimadium (apud Tuscos Casmillum) appellari Mercurium, quo vocabulo significant Deorum ministrum. Unde Virgilius bene ait: Metabum Camillum appellasse filiam, scilicet Dianae ministram. Mac. Sat. III. c. 8. — Romani quoque pueros et puellas *nobiles* et investes Camillos et Camillas appellabant flaminicarum et flaminum praeministros. Ser. ad Virg. Aen. XI, 543. XI, 557. — Fest. s. v. *Camillus proprie* appellatur puer ingenuus. Fest. s. v. *Cameram* — quod et camillum dicebant, eo quod sacrorum ministrum κάμιλλον appellabant cf. Varro de l. l. VII. p. 321 sq.

52) Cf. e. g. Plin. H. N. XXXIII. c. 1. de filio Prisci Tarquinii. — Macrob. Sat. I. c. 6. Hinc deductus mos, ut praetexta et bulla in usum *puerorum nobilium* usurparentur ad omen et vota conciliandae virtutis: ei similis, cui primis in annis munera ista cesserunt.

53) L. 3. D. de lib. exhi. cf. cel. Dirksen, Beiträge p. 287 et Rheinisches Museum I, 4. p. 323.

54) Comm. vetust. in Juv. Satir. ed. G. Cramer p. 605. Praetexta genus erat togae, qua utebantur *pueri*, adhuc *sub disciplina* usque ad XV annum; deinde togam *virilem* accipiebant. Pueri usque ad annum XV. sunt impubes; hinc Liv. IX. 36. Habeo auctores, vulgo tum Romanos *pueros* sicut nunc Graecis, ita Etruscis literis erudiri solitos; quibuscum cf. Cic. de legg. II, 9. p. 134. Etruriaeque principes *disciplinam* docento; hinc Val. Max. I, 1. de principum filiis (cf. §. 17 Nota 7) Etruriae

tes [35]) fuerunt; nam postea, vesticipes [36]) pueri facti sunt, camilli Laribus bullam sacrificarunt, i. e. pueritia excesserunt et praenomen acceperunt; quo praediti pro personis agnoscebantur, nam bulla reiecta, puberes fuerunt simulque comitiorum i. e. civitatis participes facti sunt [37]). Si vero filii familias uxores duxerunt, patre matreque familias viventibus, patres patrimi nominati sunt, quamvis filii ad sacra familiae pertinebant, nam pater, caput familiae semper sacra administravit. Matrimi et patrimi dicebantur, quorum parentes superstites erant [38]); ad sacra familiae admissi, quia erant participes et quasi domini familiae [39]).

in disciplinam datis. — Hinc denique: Religio praecepit, ut filii imitentur in omnibus rebus suos parentes cf. Serv. ad Virg. Aen. IX, 299.

35) Fest. s. v. Vesticeps puer, qui iam vestitus est pubertate: e contrario investis, qui nondum pubertate vestitus. cf. Non. Marc. s. v. Investes dicuntur impuberes, quibus propter teneram aetatem nulla pars corporis pilat. cf. Serv. ad Virg. Aen. IV, 50.

36) Fest. s. v. Puer. L. 204. D. de V. S. — Fest. s. v. Irquitallus puer.

37) *Pube praesente* est *populo* praesente συνεκδοχικῶς ab iis, qui *puberes* sunt, *omnem populum* significans. Fest. s. h. v. cf. L. 32. D. de iure fisci. — Hinc etiam Liber pater bellorum potens probatur nec non eius simulacrum hasta insigne est. — Puberes filii sive liberi, participes comitiorum, bello flagrante, equo merebant; iis enim publico sumtu equi publici dabantur, quare eorum dux princeps iuventutis appellabatur. cf. Plin. H. N. XXXIII. c. 1. mos bullae — Quare eques Romanus vir honestus dicitur L. 1. §. 2. D. de effractor. (47. 18), quia liberi, virilem togam accepti honores adepti sunt cf. infra. — At impuberes ad honores non admittendi. L. 2. §. 1. (50, 6).

38) Fest. s. v. Matrimes ac patrimes dicuntur, quibus matres et patres adhuc vivunt.

39) Ex hoc nexu haud dubie patriciorum magna in sacris praerogativa facillime explicatur. cf. Tacit. Hist. IV, 53. Matrimini et patrimini ex confarreatis parentibus nati sunt, cum inter Patricios tantum sacratae nuptiae factae sint; quare pueri, more

Eorum infantes ac pueri, nepotes patrisfamilias, camilli appellati et in caerimoniis et ritibus sacrorum educati sunt usque ad pubertatem [40]), nam bulla deposita civitatem adepti sunt. Quibus paucis lineamentis te non fugit, nepotes nomen patrisfamilias, ducis et principis generis, cognomen patris patrimi et vesticipes atque puberes, proprium nomen id est praenomen, ut aliquid singulare haberent, assumsisse [41]). Priscis enim temporibus, immo usque fere ad constitutionem imperatoris Caracallae, ex qua omnes, qui in orbe Romano erant, cives Romani effecti sunt et suo arbitrio nomina sumserunt — omnes nobiliores, initio ergo omnes patricii generis tribus usi sunt nominibus [42]). Ex his praenomen singulos homines, cognomem [43]) singulas familias, nomen singulas gentes notabat [44]).

Romano, patrimi et matrimi hymnos dicunt. Serv. ad. Virg. Aen. II, 238 et 239.

40) Pubes autem flos iuventutis. vid. Serv. ad Virg. Aen. I, 399. V, 546.

41) Varro de l. l. p. 500. Quare bene Virgilius dixit de Euryalo: sine *nomine plebem.* Nam Nisus reges interfecit: Euryalus saevit in plebem. Serv. ad Virg. Aen. IX, 342 cf. infra.

42) Cf. e. g. Juv. Sat. V, 120. tanquam habeas tria nomina i. e. liber sis. cf. Aus. Idyll. XI. tria nomina nobilium.

43) Cognomen nomini gentilicio postponi solebat, nam diversas eiusdem domus sive familias denotabat.

44) Cf. infra caput VI.

Caput III.

De familiae aedibus et sorte.

§. 6.

Familia in civitate non solum ex hominibus constat, sed naturali iam ratione bonis et alimentis eget ad hominum vitam sustinendam. Cum autem familiae cum sacris iure Romano cohaererent, bona eis necessaria erant, ut sacrificia celebrarent. Homines, id quod docet sacerdotum historia, cum initio glandibus vescerentur, glandes Diis sacrificant, deinde, cum Ceres, Saturni et Opis filia, sationem et usum frumenti homines doceret, fruges coelestibus dabant, vino libabant; postremo etiam sanguine arae affundebantur, hostiis victimisque caesis. Sacra ergo possessionem et fundum requirunt, ubi ad aram hostia adduceretur. Niebuhrius in annalibus Romanis nos edocuit, fundorum divisionem apud Romanos ex Etruscorum haruspicina emanasse, ideoque etiam affirmare possumus: familiam Patriciorum sive patremfamilias non sua sponte locum agriculturae elegisse, ubi sacra administraret, sed auspicia unicuique locum habitandi assignasse. Antiqui autem cum suam vitam legibus naturae accomodarent, solis terraeque rationem habitam esse in assignando fundo, haud dubie constat [1]). Qua

1) Festus s. v. Decumanus. Quod etiam cl. I. Grimm, deutsche

ex causa mos maiorum mihi esse videtur, quod Varro [1*]) de loco, ubi villa sit ponenda, commendat, ut intra septa villae habeat aquam: si non; quam proxime. Primum, quae ibi sit nata: secundum, quae influat perennis. Si omnino aqua non est viva, cisternae faciundae sub tectis et lacus sub dio: altero ut homines, altero ut pecus uti posset. Deinde: At Scrofa, vitandum, inquit, ne in eas partes spectet villa, ex quibus ventus gravior afflare soleat: neve in convalli cava: sed ut potius in *sublimi loco* aedifices, qui quod perflatur, si quod est, quod adversarium inferatur, facilius discutitur. Praeterea, quod ab sole toto die illustratur [2]), salubrior est." — Hic in sublimi loco aedificandi ritus etruscus fuisse non dicitur, tamen fortasse probari potest [3]). Nam qua appellatione domus in sublimi loco positae nominabantur? Festus respondet s. v. aedis. Aedis domicilium *in edito* positum, simplex et unius aditus [4]). Aedes [5]) domicilia

---

Rechtsalterthümer, 1828, p. 537, de Germanorum more observavit. Decumanus appellatur limes, qui fit ab ortu solis ad occasum. Decumani fuerunt qui decumas possidebant, principes et quasi senatores publicanorum; nam deinde etiam Plebeii publico fruebantur. Qui autem vectigal populi Romani conductum habebat, publicanus appellatus est, cum ager vectigalis publicus esset.

1*) Varro de re rustica apd. Steph. 1581. I. c. 12. p. 21. Cic. de Re publica II, 6. p. 216.

2) Aedificatio, quae germanice „Sonnenbau" appellatur, nostris temporibus primo in Bainvorum regno denuo renovata est.

3) Etruscos urbes in montibus condidisse certissimum est.

4) Scaligeri cl. emendatio ad hunc Festi locum: pro in edito: in aditu est perversa et reiicienda.

5) Serv. ad Virg. Aen. II, 487. Cavae aedes: tecta camerata. Aedem autem numero singulari de templo tantum dicimus, plurali et de domibus. ibid. II, 512 omne aedificium aedes dicuntur, sed Varro locum quatuor angulis conclusum aedem docet vocari deberi.

Patriciorum fuisse neminem fugit [6]), nam quaeque domus antiquissimo tempore templum Dei fuit. In fundo, auspiciis captis, assignato, paterfamilias aedem condidit. Cum fundo coniuncta ab aliorum fundis atque aedibus separata et divisa [7]) fuit, ex qua causa familiae capita in suis aedibus sepeliebantur [8]). Fundus cuiusque patrisfamilias ita dicebatur, quod fuit rerum omnium fundamentum [9]), cum ager esset locus sine villa [10]). Quaevis domus, patre et matrefamilias sacra facientibus, vivum templum fuit, in quo paterfamilias, multis liberis stipatus, penatibus tanquam Diis generis, tus et hostias dabat, qui penitus in intima aedium parte, ubi penus adservabatur, coleban-

6) Varro de l. l. p. 161. Tuscanicum dictum a Tuscis, postea quam illorum cavum aedium simulare coeperunt. Varro p. 160. ex *aedibus* efferri indictivo (i. e. patricio) funere praeco etiam eos dicit, qui e *tabernis* efferuntur. — Ante Cereris aedem Dimophili et Gorgasi arte exculta — Tuscanica omnia in aedibus fuisse, autor est M. Varro. Plin. H. N. XXXV, 12.

7) Nam macerie, quae ambit domum, aedes separabantur, unde domus insulae appellabantur. Ser. ad V. A. II, 468. cf. Varro de l. l. p. 161. Circum cavum aedium erat unius quoiusque rei utilitatis causa parietibus dissepta, ubi quid conditum esse volebant.

8) Serv. ad Virg. Aen. VI, 152. V, 64. XI, 143.

9) Fundus dicitur ab eo, quod sit rerum omnium fundamentum. Serv. ad Virg. Georg. II, 468.

10) L. 27. D. de V. S. Ager est locus qui sine villa est. cf. e. g. Varro de re rust. p. 7. ager Faventinus, Gallicus, Picentius, agri Campani, ager Romanus cf. §. 8. cf. Fest. s. v. Remurinus ager, contra fundus L. Martia, Stolonis, Cn. Trematii Scrofae. Deinde est ager s. st. oppositus verbo: rura cf. Varro de rust. p. 8. 9. 10. et Cato in libris ad filium de agricultura: quod ideo dictum est, quia maiores agros incultos rura dicebant i. c silvas et pascua: agrum vero, qui colebatur: laudato ingentes silvas, colito agrum minorem. Serv. ad Virg. Georg. II, 412.

tur [11]); contra exstinctis ducibus et principibus generis, Laribus, a voce Lar, quae principem notat [12]), parentabatur.

§. 7.

Quibus missis, unam tamen rem intactam relinquere non possum: video enim fore, qui mihi obiiciant, totam domum sive aedem Patriciorum sacratam fuisse, si ex mea opinione aedes Patricii templum fuisset. Huic sententiae assentior, eamque statim nonnullis argumentis comprobabo. Ante aedem fuit vestibulum, prima ianuae pars [13]). Vestibulum Vestae consecratum fuit [14]). Vesta autem sive a graeca sive ab hebraica voce huius verbi etymon deduces, ignem et terram significat [15]). Eius templum rotundum

11) Cic. de natur. Deor. II, 412.

12) Liv. II, 17. IV, 9.

13) Serv. ad V. Aen. IX, 251. — Caecilius Gallus in libro de sig. verb. quae ad ius civile pertinent secundo vestibulum esse dicit non in ipsis *aedibus* neque partem aedium sed locum ante ianuam domus vacuam; per quam a *via* (cf. §. 8 in fine) aditus accessusque ad aedes est, cum dextra sinistraque ianuam tecta sunt viae iuncta etc.

14) Serv. ad Virg. Aen. II, 469. VI, 273. — Nam Vestae limen consecratum est. Alii dicunt, ab eo quod nullus illic stet. In limine enim solus est transitus: quod vesanus dicitur non sanus, sic vestibulum quasi non stabulum. — Cogitantem attente, licet nostras sententias reiicientem non praeteribit civitatem, urbem, tribus, curias, gentes, familiam, aedem et quamque principalem rem semper imaginem divinae vitae esse; antiquitatis autem de divinis rebus opinionem tantum ex oculorum adspectu sumtam esse, at temporum tractu demum animum ad puriora et altiora esse excultum. — Diversam sententiam nuperrime praeter alios defendit cel. Windischmann: die Philosophie im Fortgange der Weltgeschichte I.

15) Cf. Creuzer: cel. Symbolik II, p. 629.

erat; in quo ignis perpetuus fuit, quod certissimum imperii pignus esse merito credebant. Cum autem omnis aedes templum sive delubrum familiae esset, in quaque aede ignis in foco perpetuus cremabat. Qua ex causa ei adiungitur vestibulum, quo foris domum adspicientem non latebat, hanc sedem aedem esse familiae confarreatione sanctae. Per vestibulum ad ianuam venitur, quae primus domus ingressus fuit; ianua dicta, quia Jano consecratum est omne principium [16]). Ceterae, sive valvae sive fores intra ianuam omnes, ostia vocantur. Igitur intra ianuam atrium fuit, quod etruscae originis, culinam et focum celavit, nec minus lectum geniale [17]). In foco [18]) autem fuit ignis perpetuus, imago in aeternum regenerantis naturae, quae sub numine Jani colebatur. In compluvio autem inveniebatur vivus fons. Cum autem veterum intuitu divina vita e duobus principiis constaret, cum causa nascendi duplex esset, ignis et aqua [19]), ut in humano etiam corpore, ambo in interna aede coniuncta fuerunt. Ad focum, ubi ergo Penatium ara fuit [20]), paterfamilias familiae sacrorum

16) Serv. ad Virg. Aen. I, 449.

17) Serv. ibid. I, 726. Atria. Ibi et culina erat: unde et atrium dictum est; atrum enim ex fumo. Alii dicunt, atria Etruriae civitatem fuisse etc.; alii atria magnas sedes et capacissimas dictas tradunt, unde atria Licinia et atrium Libertatis.

18) Focum autem dictum a fovi, ut culinam ab eo, quod ibi ignis colatur; nec licere vel *privata* vel *publica* sacra sine foco fieri, docet Serv. III, 134; cf. XII, 138.

19) Varro de l. l. p. 67. Igitur duplex causa nascendi ignis et aqua: ideo ea nuptiis in limine adhibentur, quod coniungit; hic et mas ignis quod ibi semen, aqua femina quod fetus ab eius humore et eius iunctione suis Venus.

20) Serv. ad V. A. III, 178. Focis; et hic sicut superius dictum est, ostendit cum aris etiam focos solere numinibus consecrari:

sacerdos cum liberis sacrificabat, ubi in atrio, hostiis vel victimis caesis, familiae participes epulabantur [21]. In aedibus ad compluvium vinaria mensa fuit, quae Lartibulum potius, quam Cartibulum dicta esse videtur. Focus fuit umbilicus aedis, quod Penatium religione tutissimum refugium fuit et igitur nefas habebatur, ex aede sua quemquam in ius rapere. Aedes fortasse ab etrusco vocabulo Dei Aesar [23]) derivanda est [24]), nam tali aedi aedilis praefuit [25]). Postquam temporum decursu religiosa Etruriae disciplina in

---

sed hic ideo focis, non aris, quia privatum sacrificium sequitur, nam penatibus sacrificat cf. ibid. XI, 211. cum focus ara sit Deorum penatium etc.

21) Serv. ibid. I, 726. Nam, ut ait Cato: et in atrio et duobus ferculis epulabantur antiqui. Ibi etiam pecunias habebant. cf. Non. Marc. s. v. Cortes.

22) Varro l. c. V. p. 130. Altera vinaria (cel. Spengel Flor. lectionem „vasaria" praefert. — Romae autem Jano Vestae Laribusque vinum libatum est) mensa erat lapidea quadrata oblonga una columella; vocabulum Cartibulum. Haec in aedibus apud compluvium apud multos me puero ponebatur: et in ea et cum ea aenea vasa: a gerendo Gertibulum (Cartibum) inde Cartibulum post dictum.

23) Suet. ed. Caus. in vita Aug. 97. p. 280. Aesar etrusca lingua Deus vocatur; *αισα* autem est fatum antiquorum populorum Deus; nam fata sunt iura naturae. Dare est sacrificare; aedis igitur est locus ubi Deo sacrificatur, ut vita in aevum floreat.

24) Coniecturae haud repugnat Festus s. v. aedis „sive ideo aedis dicitur, quod in ea *aevum* degatur, quod graece *αἰών* vocatur; itaque aedificare, cum sit proprie aedem facere." Vossius in Etym. h. v. derivat ab antiquo Graeco *ἄιτος* cf. Brisson. s. v. aedis.

25) Fest. s. v. Aedilis initio dictus est [magistratus] qui aedium non tantum *sacrarum* sed etiam *privatarum* curam gerebat; postea hoc nomen ad magistratus translatum est. — Verissimum est, quod iam monuit Scaliger, initio vocem magistratus abundare. cf. Varro de l. l. V. 14. p. 86.

Romana re publica, receptis Latinis eorumque cultu, depravata seu potius ad novas formas exculta erat, aedes Patriciorum privatae aedes nominabantur, ut ab aedibus sacris distinguerentur [26]). Nam, Numa Pompilio regnante, aedes communis Deae Vestae dedicata est. Deinde aedes privatae aedificia et domus appellabantur; aedes sacrae contra templa Diis consecrata erant. Nam templum aedificium fuit [27]), quod Diis erat consecratum. Tota autem Patricii aedes sacra fuit, quod affirmat Servius, qui ait: Singula membra domus sacrata sunt Diis ut culina diis Penatibus; maceries [28]), quae ambit domum, Hercaeo Jovi [29]).

§. 8.

Etrusco more sive augurum disciplina terra in certa agrorum genera divisa est [30]), e quibus ager

26) Brisson. s. v. aedis. — Initio cum Patriciorum domicilia aedes appellarentur sacra Deorum loca fana et delubra — quae tamen inter se discrepant — dicebantur. Quare aedium appellatione omnes aedificii species contineri traditur L. I. p. D. de cloacis. L. 9. D. de inc. ruin. naufrag. Deinde distinguebatur inter privatas et saeras aedes, soluta Etruscorum religione. Nam aedis initio Dei templum fuit, in quo familia Diis sacrificia obtulit, tum autem aedis domicilium hominum tantum erat et condebatur post urbem a Gallia dirutam ubi quisque voluit cf. Liv. V, c. 55. hinc urbana aedificia aedes privatae, rustica autem villae nominabantur L. 211. D. de V. S.

27) Festus s. v. templum.

28) Brisson. s. v. Marceria.

29) Serv. II, 469. cf. ibid. II, 506. Dicitur autem Juppiter Hercaeus, quia ara eius intra aulam et septum parietem aedificata, quod *graece* ἕρκος dicitur cf. Festus Herceus Juppiter intra conseptum *domus* cuiusque colebatur, quem etiam Deum *penetralem* appellabant.

30) Varro de l. l. p. 34. Ut nostri Augures publici disserunt,

Romanus ad Deorum cultum, rei publicae causa et ad privatorum utilitatem distributus est. Quae ultima pars primum rursus in tres partes erat descripta [32]). Ager autem dictus, in quam terram quid agebant et unde quid agebant fructus causa [33]). Ager sensu latiore dividebatur in agros particulares, in partes minimas, quae finibus terminatis actus nominatae sunt [34]). Ager, quod videbatur pecudum pecuniaeque esse fundamentum, fundus dictus: aut quod fundat quotquot annis multa [35]). Ex his paucis, quae ut accuratius explicentur, nostra materia non requirit, tamen constat, fines fundi constitutos et terminatos fuisse, quod veteres scriptores probant [36]). In fundo, familiae terra, aedis [37]) in edito sive sublimo loco posita fuit, in cuius penetralibus focus cum igne et

agrorum sunt genera quinque, Romanus, Gabinus, Peregrinus, Hosticus, Incertus.

31) Dion. Hal. II. p. 82.

32) Varro l. c. p. 61. Ager Romanus primum divisus in parteis tris, a quo tribus appellata Tatiensium, Ramnium, Lucerum. — sed omnia haec vocabula Tusca, ut Voluius, qui tragoedias Tuscas scripsit, dicebat.

33) Varro l. c. p. 35.

34) Ibid. p. 36. — Fest. s. v. actus ibique est conf. nota. — Briss. s. v. agere, actus.

35) Varro l. c. p. 38. Serv. ad Virg. Georg. II, 468. — Non. Marcell. s. v. fons. Quod Cato ait circum fundum ulmos et populos, unde frons ovibus et bubus sit.

36) L. 60. D. de V. S. Fundus autem *integrum* aliquid est. Sed fundus quidem suos habet fines. — Suus est aptus, congruus; cf. Serv. ad Virg. Georg. IV, 22. 190. ad V. Aen. I, 552. III, 469. IV, 582.

37) Domicilium in fundo, posteriore tempore villa dicebatur; quod nostrae opinioni non oppositum est, cum Varro dicat: omnes in censu villas inde dicemus aedes. Nam Plin. H. N. XIX. c. 4. ait: in XII tabulis legum nostrarum nusquam nominatur villa; semper in significatione ea hortus: in horti vero haeredium.

aqua erat, et ubi paterfamilias, suis liberis comitatus sacra privata fecit. Hinc fundum ex agro sensu proprio (cf. §. 6 Nota 10) et aede sive villa constare, veteres iuris autores probant [38]). Aedis igitur res immobilis fuit, quia sacra cum bonis coniuncta erant [39]) et fundus et aedis, auguriis captis, constituta. Ob hanc causam fundis nomina ex principum familiae nominibus imposita sunt, ut fundus Cornelianus [40]). Bona autem familiae initio *sors* appellabatur [41]), quia, auspiciis captis, Dei responso familiae duci et principi sortiendo accidebat. Qui autem ad familiae sacra pertinent sortis participes erant, qua ex causa *consortes* appellati sunt [42]), ideoque familia in res ducebatur [43]). An liberi, masculini generis,

Cum igitur in XII tabulis villa haud nominaretur, villae appellatio post duodecim orta est.

38) L. 9. D. de servit.

39) Nam sacra cum pecunia, Pontificum autoritate, non lege coniuncta sunt. Cic. de leg. II, 21. p. 317. — Ideo aedis sive villa fundi pars et accessio adpellatur. L. 8. D. quib. mod. usufr. amitt.

40) Cf. e. g. L. 9. D. de fundo dotium et supra §. 6 Not. 10. Briss. s. v. fundus.

41) Sors et patrimonium significat unde consortes dicimus; et Dei responsum, et quod cuique accidit in sortiendo. Festus s. v. sors. — Sors est igitur tam fatalis necessitas, quam fortuna Serv. II, 554. XII, 432. Varro de l. l. p. 182. Sors quod suum fit sorte. p. 242. — hinc etiam ipsi consortes, ad quos eadem sors; hinc sortes, quod in his iuncta tempora cum hominibus ac rebus. — ab hoc pecunia, quae in foenore, sors est. — Sors est summa, ut ait Donatus in Terent. Adelph. II. 2. cui extrinsecus adquiritur foenus; fenus adpellatur *naturalis terrae fetus*. Fest. h. s.

42) Fest. s. v. Disertiones sive disortiones patrimoniorum inter consortes; cf. Plin. Epist. VIII, 18. Quinct. in argum. Dec. 121. Fratres consortes inimici esse coeperunt: diviserunt.

43) L. 195. D. de V. S. — Quare etiam domus modo pro familia,

puberes et patrimi, nuptiis celebratis, cum suis gnatis eandem *aedem* cum patre matrefamilias habitabant? Nescio; negandum tamen potius putem, nam aedes certe minor fuit, quam qua omnes liberi cum uxoribus suaque prole recipi possent, quod etiam Plutarchus affirmare videtur, referens: Coriolanum, matris precibus commotum, uxorem duxisse et adhuc liberis procreatis apud matrem habitasse [44]). Quonam vero loco puberes patrimi domicilium aedificarunt? Haud dubie in agro paterno, in fundo familiae. Patres enim liberis agrorum partes tribuebant [45]). Domicilia ab iis exstructa fortasse aedificia sive habitationes nominata sunt [46]). Haec saltem ponebantur ad utramque viae partem [47]), quae in aedem duxit [48])

modo pro domicilio ponitur; cf. Serv. ad V. Virg. II, 652. II, 85; nec non pro genere; Ibid. II, 702. VII, 122.

44) Plut. Coriol. c. 4; cf. Cic. de offic. I. c. 17: Sequuntur fratrum coniunctiones; post *consobrinorum sobrinorumque:* qui cum una domo iam capi non possint, in alias domus, tanquam in colonias exeunt. Sequuntur connubia et affinitates etc.

45) Fest. s. v. Patres senatores ideo appellati sunt, quia agrorum partes attribuebant tenuioribus ac *liberis* propriis.

46) Varro de l. l. V. p. 143. Aedificia nominata a parte ut multa. Ab aedibus et faciendo. Serv. II, 16. Aedificari enim habitacula hominum dicimus cf. Prob. ad Virg. Ecl. II, 61. cf. de habitatione Festus s. v. vicus et Non. Marc. p. 452.

47) Varro l. c. p. 146. In oppido vici a via, quod ex utraque parte viae sunt aedificia.

48) Haec via, quae a via consulari vel publica exibat et ad agrum patrisfamilias duxit, fuit via vicinalis, quia ad utramque partem vici sive habitationes filiorum familias positae erant; publica tamen haec via fuit. Posterioribus temporibus eodem modo vici i. e. plures villae coniunctae — fundati sunt, tum quoque novae viae ex collatione privatorum constitutae et hae vicinales viae non publicae sed privatae fuerunt; contra veteres viae vicinales, quae non ex collatione privatorum, sed ab una familia s. gente reficiebantur, publicae erant. Viis vicinalibus privatis in

et vici dicebantur; qua ex causa vici priscis temporibus gentium nominibus nominati sunt [49]). Vicus autem erat id genus aedificiorum, ut refert Festus [50]), quae in oppido [51]) privo id est in suo quisque loco [52]) ita aedificavit, ut in eo aedificio pervium esset, quo itinere habitatores ad suam quisque habitationem habebant accessum [53]). Vici habitatores vicini dicti sunt. Quisque locus, quamvis pars fundi, fundus factus est, si in eo aedificium condebatur. Nam quisque familiae ager sive fundus habebat suos fines, ut supra iam monui. In quorum medio fuit aedis in sublimi loco tamquam arx aedificata; aedis autem fuit domicilium simplex et unius aditus [54]). Totum *solum* [55]) cum aede

---

agris servitus imponebatur, non autem viis vicinalibus publicis, quae ad agros e via consulari ducebant. cf. L. 2. §. 22 et 23. D. (43, 8) Briss. s. v. via.

49) E. g. vicus Cosconius, Publius, Fabricius; de quibus alio loco plura dicemus.

50) Festus s. v. vici cum cel. Daceri emendationibus.

51) Oppidum quidam a vico castelloque magnitudine secernunt; alii locum muro, fossave aliave qua munitione conclusum; alii locum aedificiis constitutum, ubi fanum, comitium, forum et murus sit, etc. Serv. ad V. Aen. IX, 608; cf. Varro l. c. p. 143.

52) Locus est, ubi locatum quid esse potest, ut nunc dicunt collocatum; cf. Varro l. c. p. 25. Quocum cohaeret filia inlocabilis et in matrimonium collocata. Quam ob rem in Patriciorum confarreatione locata uxor dicitur, quod cum eo (marito) sedeat, dum confarreatur cf. Serv. ad V. A. IV, 150.

53) L. 60. D. de V. S. Locus est non fundus, sed portio aliqua fundi. Loci appellationem non solum rustica verum ad urbana quoque praedia pertinere Labeo scribit. — Loci, agri, viae appellationem in sensu stricto et latiore in fontibus invenies. — Caeterum adeo opinio nostra et constitutio locum a fundo separat, ut et modicus locus possit fundus dici, si fundi animo eam habuimus etc. L. 211. D. de V. S.

54) Fest. s. v. aedis.

55) *Solum* omne dicitur, quod quid sustinet — Serv. ad V. A. V, 199;

oppidum privum dicebatur [56]) maceriė circumductum [57]). Ad hoc et quidem ad aedis aditum via vicinalis ducebat [58]), qua ex causa eius latitudo constituta fuit [59]).

VII, 111. — nsm solum cohaeret, si vocis origines quaeris, cum sole. Terra (graece ἔρχος, latine hortus, erctum, germanice Vere) — quam sorte familiae princeps accepit, ubi pro familia sacrificium *Soli* sive *Jano* (Briss. de form. LXXV. p. 41. et supra) daret, *solum* sive *solidum* dicebatur. Solidum est compositum, nisi fallor, a sole et dare; solidum enim, seu osca lingua sollo est totum et integrum, hinc pro dominio accipitur, cf. Fest. s. v. solum et sollo. Brisa. h. v. nam terra limitibus distinctis, solum appellabatur, quare quod in solo nostro ab aliquo aedificata est, iure naturali nostrum fit. Gaius II, 73. 74. Vetustissima autem sacrificia in Solis honorem fiebant, quia eum veteres *procreandi principium* coluerunt cf. Creuzer. Symbolik II. p. 4. Baur Symbolik und Mythologie oder die Naturreligion des Alterthums 1824. I. p. 182. Serv. ad V. A. III, 35. Macr. Sat. I. c. 16—23. Cum in solo, — hinc solarium cf. Briss. s. h. v. — Soli dedicatum, paterfamilias, liberis stipatus, dux esset, qui hostes repulsit, solium pro armario, sella excelsa et imperio accipiebatur cf. Serv. ad V. A. I, 506. VI, 396. Cic. de leg. I. 3 ibique citata. Sacrificium autem *solenne* antiqui dixerunt, quod in Solis honorem quotannis, certis diebus fiebat, hinc *solennia* et solitaurilia Serv. ad. E. V, 74. ad V. A. II, 202. Fest. h. v. Solum igitur *ager limitatus* (Briss. h. v.) fuit, quod ad totam familiam pertinens, eius consortes — nam exsors est ἄκληρος, expers Serv. ad V. A. V, 534. VI, 428. —, patrefamilias defuncto, diviserunt cf. infra.

56) Alio loco amplius de oppidis privis et de urbe s. oppido disserui, quod bonis auspiciis in lucem profeiam. Antiquissimo tempore ante Romuli imperium et usque ad Servium Tullium urbs Romana fuit tantum arx, tum autem insulae sive Patriciorum oppida priva muro communi claudebantur, igiturque usque ad ultima imperii Romani tempora oppidum et urbs Romana diversa fuerunt.

57) Briss. s. v. maceria.

58) Cf. §. 7. Not. 13.

59) Viae (sensu lat. cf. L. I. pr. D. (8. 3)) latitudo ex lege XII tabularum in porrectum octo pedes habet: in anfractum, id est, ubi flexum est, sedecim L. 8. D. (8. 3). Ergo in via (privata) aliud iuris est: nam si dicta latitudo non est, legitima debetur.

Caput IV.

De familiae consanguineis et necessariis.

§. 9.

Familiae appellatio referebatur ad patrem matremque familias, liberosque et qui deinceps vicem eorum sequebantur, ut nepotes et neptes et deinceps. Filii familias inter se fratres appellabantur, quatenus ex eodem germine nascerentur [1]). Tamen et consanguinei dicti, propter consanguinitatem [2]). Filiaefamilias nuptae ex sua familia et sacris excesserunt, in viri familiam ac sacra transibant, sorores appellatae [3]). Filiis autem familias puberibus atque uxores ducen-

1) Serv. ad Virg. Aen. V, 412. Germanus est, secundum Varronem in libris de gradibus de eadem genetrice manans, non, ut multi dicunt, de eodem germine, quos ille tantum fratres vocat. — Frater, inquit P. Nigidius, est dictus quasi fere alter. Gell. N. A. XIII, 10. — Fratres igitur initio fuerunt, qui eodem germine manant; germani autem qui de eadem genetrice; nam cum confarreatio initio nisi morte et tonitru dissolvi posset, gnati ex eadem matre procreati germani dicuntur; hinc germanus, ut Fronto refert, ex iisdem parentibus sive eadem stirpe nati, ut Festus. Consanguinei autem qui eodem patre nati sunt. — Deinde autem fratres ad utrumque parentem referuntur L. 10. §. 13. D. de grad. et adfin.

2) Hoc ad ius sacrum pertinet cf. Serv. V, 532. — Nam veteres, sanguinem esse vitam existimabant. Hinc consanguinei fratres dicuntur de uno patre nati. Gaius III. §. 10. cf. Briss. s. h. v.

3) Gell. N. A. XIII, 10.

tibus loca et habitationes in fundo familiae, sive oppido privo, ab patrefamilias attributae sunt, nam agricultura a Patriciis maxime diligebatur et colebatur [4]). Ex qua causa Varro [5]) commemorat: eam non modo esse artem, sed etiam necessariam ac magnam. Cum autem *fratres*, ut vidimus, domicilia iuxta viam aedificarent, unde *vicini*, quoque *adfines* dicebantur, quia in *agris affines* fuerunt. Fratres igitur consanguinei propter eundem sanguinem, consortes propter eandem sortem [5a]), adfines appellati propter *in* agro vicinitatem, quod Festus affirmat [6]). Hoc veterrimo nexu soluto, consanguineorum unitas et affinium periit, quare affinitas initio simplex, duplices rationes in se continet. Ex genuina enim familiae notione, cum pater materque familias sacrorum et bonorum participes essent, quod liberorum erat, et eorum uxorum fiebat. Ex hac causa coniux filiifamilias affinis soceri et socrus fuit, deinde etiam eius vir gener et affinis patris et matris uxoris suae. Affinitas ex nuptiis ergo fit, ut autores dicunt [7]); rectissime, quia fratres inter se et paterfamilias cum suis filiis puberibus tum affines fiebant, cum liberi uxores duxerunt et ab duce

4) E. g. Cato interrogatus: qui esset paterfamilias, respondit: eum, qui bene pascit et bene arat, — Plin. H. N. XIX, 4. Romani quidem reges ipsi coluere (sc. hortos).

5) Varro de re rustica c. 3.

5a) Hinc nuptiae sunt *consortium omnis vitae* L. 1. D. de ritu nupt. (23. 2)

6) S. v. *Adfines in* agris vicini, sive consanguinitate coniuncti; cf. Notam ad h. l.

7) L. 4. §. 3. de grad. et adfin. (38, 10) Adfines viri et uxoris cognati sunt, quod duae cognationes, quae inter se diversae sunt per nuptias copulantur, et altera ad alterius cognationis finem accedit, namque coniungendae adfinitatis causa fit ex nuptiis. — Qua ex causa affinitas non nisi ex iustis nuptiis procedere potest.

familiaeque principe partes fundi ad habitandum [8]) colendumque acceperunt. Attamen si unus vel alter dicat: affines initio non patrem filiosque familias fuisse, sed dominos variorum agrorum; pauca ex alia materia, ut hanc opinionem refutem, adiiciam. Finium regundorum actio pertinet ad praedia rustica. Judici finium regundorum permittitur, ut, ubi non possit dirimere fines, adiudicatione controversiam dirimat.[9]) Hoc iudicium locum habet in *confinio* praediorum rusticorum: in urbanis displicuit; neque enim *confines*, sed *vicini* dicuntur, et ea communibus parietibus plerumque disterminatur [10]). Domini ergo

---

8) Cf. §. 8. Not. 46. *Habitare* est *venerem facere*, ut ex Petronio patet. Nam gnati, ad generandum maturi, hinc liberi sive puberes (cf. supra §. 2. Nota 12. §. 5.) uxores duxerunt (cf. infra §. 24). Paterfamilias iis ergo habitationem iuxta viam dedit, ubi sobolem procrearent. Ita initia et fundamentum habitationis vidimus. Quamvis locum tectumque liberis dabatur ad divinam rem faciendam (cf. §. 21), habitationem simulque accessiones adminiculaque acceperunt, hinc cum habitatione iter et actus coniuncti sunt. Propter genuinam habitationis notionem finemque ea nec non utendo amittitur nec capitis diminutione, nec ad heredem ipsa transit, quia partim res divina non perpetuo fiebat, nec civilis ratio naturalia iura corrumpere potest, partim, patrefamilias mortuo, sui heredes familiam diviserunt, et tum in suis agris liberis suis denuo partes ad habitandum colendumque attribuebant. — Deinde autem hanc notionem mutatam esse haud repugno; at aliam sententiam defendit cl. Thibautius: Civilistische Abhandlungen p. 7—35.

9) L. 2. §. 1 et L. 4. §. 10. D. fini. reg. (10, 1).

10) Fest. l. c. Adfinis *in agris* vicini et contra Varro de L. l. p. 80. ut arbores, quae in confinio natae, in utroque agro serpunt. cf. L. 4. §. 8 (10, 1). At, genuina significatione exstincta, adfines et confines confunduntur cf. e. g. Isidorum: Confinalis ab eo, quod sit genere vel loco affinis. Briss. s. v. Adfinis et Confines et Confinium. — Nostram sententiam confirmat Sic.

duorum pluriumve fundorum confines dicebantur; sed qui in *communi fundo* [11]), in agro loca sive praedia urbana, habitationes, partes agrorum a patribus tributas possidebant *vicini* fuerunt [12]).

§. 10.

Sequar ut institui, familiae notionem; nam cum dixerim affines deinde viro uxoris et uxori viri cognatos fuisse, merito quaeritur, quinam cognati sunt? Cognati ab eo dici putantur, quod quasi una communiterve nati, vel ab *eodem* orti progenitive sunt [13]). Apud Romanos autem postea quidem cognatio duplex fuit, sed initio simplex. Nomen enim cognationis a graeca voce dictum videtur; συγγενεῖς enim illi vocant, quos Romani cognatos appellant. Initio autem iidem erant, qui agnati nominabantur, nam cogeniti erant,

Flacc. de cond. agr. p. 6. „Ut autem confinium ita trifinium, quoties in eundem locum trium possessionum fines concurrebant.

11) Fest. s. v. vicini. — Fortasse partes agrorum liberis at clientibus a patribus attributae — *praedia* nominatae sunt. Praedium enim derivari potest ab prece et dare sive a *prae* aedio, loco ante aedes — hinc praedere, praes. Loca liberis ad habitationem concessa praedia urbana, contra ad agriculturam rustica. Quae autem loca clientes precibus acceperunt, precario possidebant, ut Savignius et Nièbuhrius rectissime dicunt. Ideo autem *ager* et *possessio* species praedii sunt L. 115. D. de V. S.; quare invenimus in duobus D. titulis de servitutibus et precario verbum concedere, quod paterfamilias tam clientibus quam liberis partes agrorum concedit. — Hinc formula: servitutem praedio tuo concedo.

12) Quibuscum fortasse cohaeret, quod Festus commemorat s. v. Commissatio — a vicis, quos Graeci κώμας dicunt, appellatur; in his enim habitant prius, quam oppida conderentur, quibus in locis alii alios convictus causa invitabant. cf. Fest. s. v. Convicium.

13) L. 4. §. 1. L. 10. §. 1 et 2. D. (38, 10)

unde consanguinei cognati et agnati sunt: sed cognationis ius latius est, quam agnationis vinculum; nam agnatio ad ius publicum spectat. Cum enim ius publicum sit, quod rei publicae interest; res autem publica ad statum libertatis, civitatis et familiae pertineat, familia vero Patriciorum suis, agnatis, gentilibusque tantum in aeternum floreat, non latet ius agnationis iuris publici esse. Nam secundum genuinam familiae notionem adgnati dicti, qui per patrem ex eadem familia cognati erant, contra cognati latiore sensu, qui per foeminam descendunt [14]). Fuisse cognatos et latiore et stricto sensu, non dubitabis, si Dig. titulum de gradibus et adfin. et nominum eorum attente perscrutaberis. Cognati ergo fuerunt s. str. qui ex eadem familia orti sunt, qui, ut Labeo refert, quasi commune nascendi initium habebant [15]). Si igitur filiusfamilias uxorem duxit propinqui viri, eius affines fiebant; cognati autem erant, qui eodem sanguine geniti, eandem ex maioribus originem ducebant. Nam nupta uxor filiifamilias ad gnatos patrisfamilias, ut nurus adcessit, et cognata fiebat, minime autem filiae vir, ut gener, adgnatus patris uxoris fuit, nam hic ad gnatos non referebatur, cum in familiam soceri non transiret. Temporum autem progressu cum cognati s. str. ad rempublicam spectante adgnati nominarentur, cognati inter se fuerunt utriusque familiae participes. Nam, qui cogeniti unius

---

14) L. 4. §. 2. eod.

15) Quod etiam ex his apparet. Nomen est gentis, ut *cognomen* familiae. Filii qui ipsi agnati sive cognati erant, proprias familias habere inceperant; hinc agnomen sive cognomen est agnatorum sive cognatorum nomen. Vide quoque Gloss. erotic. s. v. cunnus „eodem etymo cognati dicebantur parentes materni, tamquam eodem cunno nati.

gentis fuerunt, nuptiis factis, sacrorum vinculo cum alterius gentis cogenitis coniungebantur. Quod ius et vinculum religiosae coniunctionis necessitudo dicebatur [16]. Cognati ergo atque affines initio haud dubie s. str. deinde etiam s. latiore *necessarii* vocabantur. Necessarii enim sunt, ut Gallus Aelius dicit, cognati aut affines, in quos necessaria officia conferuntur praeter ceteros [17]. Cum enim sine cognatis et affinibus familia periret, hi familiae participes, necessarii appellabantur. Primum enim quod ab iis ad conservandam familiam fiebat, *officium* eorum dictum est [18], quare qui necessaria officia conferebant necessarii appellati [19]. Deinde autem verbo officii significatur, quod omnino unicuique personae congruit et fieri debet [20]. Quod autem officia ab utraque parte debentur de liberorum et parentum tutorumque officiis legimus [21]. Personae, quae haec necessaria

---

16) Gellius N. A. XIII. 2.

17) Fest. a. v. Necessarii. — Necessarium a nec et esse; quia sine cognatis et affinibus familia periit; hinc necessitas immutabilis res est, ut mors, contra necessitudo vel sanguinis vel meritorum, cum praeceptoribus cum amicis. Cf. vet. gram. ed. Diou. p. 54. — Fest. s. v. rapi. — Necessitudo est affinitas. Non. Marc. p. 353 et 354.

18) Cf. Gloss. erotic. p. 357. s. v. officinm. — Hinc officium nuptiale. Suet. Cal. 25. Ner. 28.

19) Cum genuina bac notione necessarii heredes sive servi necessarii cohaerent.

20) Donat in Terent. Adelph. act. I. sc. 1. officium est quasi efficium, ab efficiendo, quod unicuique personae congruit. Sen. de benef. III. c. 18. Sen. II. contr. 5. Brissonius s. h. v. Cic. de officiis e. g. I. c. 3.

21) L. 6. D. de collat. bon. (37, 6). L. ult. C. de dotis promiss. et nuda pollic. (5, 11). L. 2. D. de inoff. test. (5, 2). L. 39. §. 10. D. de adm. et per. tut. (26, 7). L. 9 et 10. C. qui pet. tut. et cur. (5, 31).

officia sibi invicem praestant, sunt quae praentum liberorumve locum inter se obtinent [22]. Antequam autem necessariorum officia longius expono, aptum esse videtur, ut indolem patriae Patriciorum potestatem adumbrem.

---

22) Gaius I. §. 59 et cel. Dirksen Beiträge p. 248—258. Cum ergo necessarii sint, qui *parentum liberorumve* (cf. infra §. 23) locum inter se obtinent, necessarii autem affines et cognati nominentur, perspicuum esse videtur, necessarios initio cognatos et affines eiusdem familiae proprio sensu fuisse, cuius princeps et dux paterfamilias dicebatur; cf. infra §. 16. 23. Officia inter necessarios s. st. partim discrepant ab eis, qui affines cognatique s. l. obtulerunt. Cf. e. g. L. 5. cum lege 9. D. de testib. (22, 5). Quaedam officia recenset cel. Dirksen l. c.

Caput V.

De patria Patriciorum potestate.

§. 11.

De patria potestate in s. l. tam multi sunt libri, ut si copia mihi fuisset, eos inspiciendi, tamen fortasse magnam eorum partem reiicerem, cum hanc materiam universam tractarent, non autem, ut saltem puto, patriam Patriciorum potestatem. Attamen, qui de hac causa, ut ego institui, nonnulla tantum eligere ausus est, tamen nec fontibus nec scriptoribus hanc materiam tractantibus carere potest. Equidem autem multis libris nunc egens, pauca ex antiquissimo iure recensere potero, verum enim vero, quamvis res difficilis, pro viribus conatus sum. Qui autem antiquissimam iuris Romani disciplinam pervestigare volet, literas antiquiores altioresque penetrare debet, quas Grammatici conservarunt. Nam cum apud Romanos, ut supra iam laudavi, vocabula antiquissima ex naturae intuitu emanarint eaque ut naturae formae, unde etiam apud eos verborum formulae inveniuntur, retenta sint, necesse est, iurisperitos grammaticae peritos esse. Nam qui Latinarum vocum origines rationesque perspiciet, plerosque iuris laqueos facillime enodabit. Sin autem coeptum in hac dissertatiuncula infra vota ceciderit, sincerum meum iuris Romani

historiae studium, huius materiae illustrandae doctores et fautores bona venia suscipiant, oro et obsecro.

Postquam ergo supra internum familiae vinculum disquisivimus, qua quidem disquisitione nostram de familiari Patriciorum nexu sententiam saltem quodammodo confirmatam esse speramus, ad externum familiae vinculum nunc transeuntes, videbimus, num huius genuina indoles sententiae, quam de familia proposuimus, veritatem commendet. In omnibus fere aevi recentioris libris de patria Romanorum potestate disserentibus, hancce legem legimus: patriam potestàtem ius vitae et necis [1]) in liberos fuisse. Et quid quaeso rei naturae magis convenire videtur antiquissimis temporibus, quam haec lex? Sed tamen quis est, qui neget, nostra lineamenta de Patriciorum familia attente secutus, tale imperium huic sacratae familiae maxime oppositum esse! Quae tamen contraria fortasse his argumentis reconcilianda sunt. Paterfamilias est dux et princeps familiae. *Princeps* autem, si hoc vocabulum ex fonte ducis est generis caput,

1) Nostri aevi iurisconsulti, ut doctores iuris criminalis Kantianae scholae adsectatores semper de *iure* vitae necisque loquuntur. Romani autem prisci de vitae necisque *patestate*; cf. e. g. Malblanc: Principia iuris Romani I. §. 129; Höpfner Comment. ed Weber 1818. §. 101. Gans Erbrecht II. p. 309. Schweppe Röm. Rechtsgeschichte 1822. §. 373. Roßhirt Grundlinien 1824. §. 23. p. 28. Thibaut Pandectensystem ed. septima. §. 354. p. 268; Zimmern Geschichte des Röm. Privatrecht I. p. 657. 665. et ipse Haubold Inst. 1814. §. 345. Cl. Hugo, severus perversae orationis castigator hanc formulam praeteriit. Geschichte des Röm. Rechts ed. VI. §. 68. et Mühlenb. Doct. II. §. 299. dicit: liberrima apud veteres Romanos patrum erat potestas in liberos, quippe qui necari, exponi alienari possent impune. cf. contra Collat. Mos. et Rom. IV. 8. et Gell. N. A. V. 16. — Compositam depravatamque formulam praebet L. 2. pr. Cod. Theod. et L. ult. C. (8, 47).

abs quo *stirps orta* est. Dux autem paterfamilias dicebatur, cum *uxorem liberorem quaerendorum causa duceret.* Fuit etiam aedilis suae aedis sive familiae, qui herus sive heres sacra fecit. Cum autem cum sacris pecunia [2]) coniuncta esset, paterfamilias non solum sacra, sed etiam pecuniam administravit, qui omnes omniaque ducit, ut sacerdos, qui victimas ad aras duxit [3]). Vincula, quae patremfamilias uxorem liberosque iungebant, religiosa erant, quae initio non iura [4]) sed *officia* appellabantur. Vox officii tamen ex sacro iure est explicanda, ut supra memoravi, nam facere est sacerdotum lingua, sacrificare, sacrificium dare [5]). Officia igitur sunt omnia negotia, quae sacrificantes gerunt et hinc maxime ad ius dicentem pertinent. Haec autem ex *more* manarunt [6]) quare Ulpianus dicit: ius potestatis *moribus* receptum esse [6a]). Mos autem fuit institutum patrium (veterum) pertinens maxime ad religiones caerimoniasque antiquo-

---

2) Hinc vox „pecuniae“ ad patremfamilias speciat cf. Fest. h. v.

3) Brisson. de Form. voce ducere.

4) Jus enim s. a natura sive voluntate proficiscitur. Natura ius est, quod *cognationis* aut *pietatis* causa observatur, quo iure parentes a liberis et a parentibus liberi coluntur ad Herenn. II. Jura voluntate profecta sive iura proprio sensu – nam ius voluntate manat — tum demum nascuntur sive redduntur, cum populus ex singulis familiis constans factis sive iussu aliquid constituat. Hinc *ius gentium* est, quod gentes Romanae rebus et factis condiderunt, et *leges*, quae *suffragio* populi sanctae sunt.

5) Briss. de Form. p. 16, XXVIII. — Quonam autem modo officii indoles, quam supra tetigi, cum hac significatione congruat, perspiciendum est ex ultima sacri notione, quam infra in aprico posui cf. §. 21.

6) Qua ex causa moribus civilia sive publica officia feminis adempta sunt; cf. L. 2. D. ad Sc. Velleian. et L. 2. D. de R. I.

6a) L. 1. D. de his qui sunt sui vel alien.

rum, ut ait Festus [7]. Officium vero ad *solennia* caerimoniasque pertinet, quibus filiifamilias a patribus educti sunt [8]. Quod super ordine officiorum in noctibus atticis scriptum invenimus, cum Aulii Gellii verbis hic scribemus. Verba Gelii haec sunt: Seniorum hominum, dicit, et Romae nobilium atque in *morum disciplinarumque* veterum doctrina memoriaque praestantium, disceptatio quaedam fuit, praesente et audiente me, de gradu atque ordine *officiorum.* Cumque quaereretur, quibusnam ea prioribus potioribusque facere oporteret, si necesse esset in opera danda, faciundoque officio alios aliis anteferre: non constabat. Conveniebat autem facile, constabatque, ex *moribus* populi Romani, primum iuxta parentes locum tenere pupillos debere fidei tutelaeque nostrae creditos; secundum eos proximum locum clientes habere, qui sese itidem in fidem patrociniumque nostrum dediderunt; tunc in tertio loco esse hospites; postea esse cognatos affinesque. Huius moris observationisque multa sunt testimonia documentaque in antiquitatibus perscripta" [9]. Sin hoc loco officia erga parentes tantum memorantur, mihi tamen certissimum esse videtur, parentes suis liberis tulisse [10], quae non solum pupillis, sed etiam clientibus et ne-

7) Fest. s. v. Mos ibique Scaligeri nota. Cf. Macrob. Sat. III. c. 8.

8) Serv. ad Virg. Aen. IX, 126. bene ipse, quia adhuc pro Ascanio pater solebat sacrificare, nam ideo et *solennia* ait, quae fieri solerent, ut se ostenderet, si victoris et pax esset secuta etiam illius *officii* capacem esse. Cf. supra §. 5 Nota 34. — Serv. ad Virg. Georg. III, 17. Tyrio conspectus in ostro; in habitu pontificis: cuius se *officium* dicit in templi consecratione sumpturum. — Matris officia; cf. Gell. N. A. XII, 1. L. 18. D. de V. S. et L. 175. de R. I.

9) Cf. Gell. N. A. V, c. 13.

10) Cf. supra §. 10. Nota 20.

cessariis afferunt [11]). Praeterea iuris Romani regula: omne vinculum semper ab utraque parte idem esse, nostram sententiam satis abunde confirmat [11*]). Deinde cum sacra fundamentum et vinculum totius vitae essent, tum certe ii coniunctissimi cum patrefamilias erant, qui mortuo familiae capite, sui heredes i. e. ipsi sacerdotes erant.

§. 12.

Attamen si aliquis obiiciat, in arogationis formula cuius antiquissimam originem haud nego, patrifamilias vitae necisque in filio potestatem tribui [12]), quaeritur, si rerum antiquarum non incuriosus, vim naturamque huius formulae consideras, quid sit vitae necisque potestas, an quid fuerit vitae necisque potestas, si ius Patriciorum sacrum perlustras. Nam istam nostris iurisconsultis communem sententiam probare non possumus, patriam potestatem ius gladii fuisse, patrique ius fuisse suo arbitrio suum filium interficiendi et vendendi, cui tantum ex causis maximis post

---

11) Massurius autem Sabinus, in libro iuris civilis tertio, antiquiorem locum hospiti tribui quam clienti; verba ex eo libro sunt: In *officiis* apud maiores ita observatum est: primum tutelae deinde hospiti, deinde clienti, tum cognato, postea affini cf. Gell. l. c. Quare opponuntur *officia* et honores cf. Gell. II. c. 2. — verba super ea re Taurus facit cum summa, di boni, honorum atque officiorum perpensatione. — hoc igitur, inquit, quod ad me venistis, quod colloquimur nunc, quod de *officiis* disceptamus. — super huiuscemodi *patris* atque filii officio. Cf. l. c. II. c. 7. — Briss. s. v. officium. De officioso Heindorf ad Hor. Sat. II, 5. 48. — Sacra celebritas est cum sacrificia Diis offeruntur Mac. Sat. I, 16.

11*) Hinc saepissime patres, filio obito, orationem, quam puberi filio, defuncto patre, in funere habendi mos fuit, fecerunt. Cf. Kirchmanni de funeribus Romanorum ed. 1672. p. 212—219.

12) Gell. N. A. V. c. 19.

duodecim tabulas exheredandi facultas fuit. Primo enim moribus receptum erat, ut iure, legibus duodecim tabularum constituto, sacra privata manerent. Familia autem cum sacris adeo coniuncta erat, ut familia exstincta, sacra perierint et familia mortua, sacra exstincta sunt[13]). Cum autem familia ex liberis constaret et his maximeque filiis, uxores ducentibus, liberorum quaerendorum causa vigeret, et in aeternum perduraret, paterfamilias familiam suam suique memoriam statim delevisset, si ei suo arbitrio filios interficiendi ius fuisset. Quam ob causam necesse fuit, ut ad heredes patrisfamilias sacra transirent, ne morte eius simul exstinguerentur. Initio autem liberi necessarii erant, qui sine aditione ipso iure sui heredes erant. Tum autem quomodo, quaeso, cum vitae necisque iure, quod scriptores nostri patrifamilias iure Romano sine temporum et populorum discrimine concedunt, illam a Dionysio Halicarnassensi relatam legem concilias, quam Romulum edixisse dicit [14])? Primum refert ille [15]), necessitatem colonis imposuit educandi quicquid esset masculum et e filiabus primo genitas; nullam autem prolem interfici permisit minorem triennio, nisi siquid mutilum aut alioquin monstrosum in ipso partu esset editum; tales enim foetus exponi a parentibus non vetuit, sed ostensos prius quinque viris e vicinia proximis, si illi quoque exponendos esse censuissent; si quis contra hanc legem committeret, praeter alias mulctas, etiam dimidiam

---

13) Tralatitium hoc verbum nemo, quantum scio, nostrorum iurisconsultorum explicuit; quod veterum religione tantum comprehendi potest cf. §. 21.

14) Dion. Halic. II. p. 38.

15) Dirksen cel. Versuche zur Kritik und Auslegung der Quellen des Römischen Rechts 1823, p. 303.

bonorum partem addixit aerario publico [16]). Huius instituti sive legis veritatem confirmat Cicero [17]), qui in libro de legibus tertio de pueri deformitate aliquid refert, quod in tabulas decemvirales adscitum est. Denique autem quorsum additum est ius vitae? Nam si patrifamilias necis ius concedas implicite etiam ius est proli eiusque vitae parcendi. Tum autem, si paterfamilias potestatem habet, nullo aliorum habito respectu statim sua voluntate filium interficiendi, simul ius vitae habet, nam a suo arbitrio pendet, partum agnoscat an interficiat, quod Romuli legi rursus haud respondet. Quamvis huius materiae adumbratio Plebeiorum demum institutis conferendis omnino intelligi potest, tamen nonnulla lineamenta ad hanc difficilem rem extricandam afferam, quamvis hoc loco tota fere disquisitio non nisi coniecturis niti potest. Si veterum religionem attente perscrutatus es, praeter illam supra laudatam notionem, ubique duplex ratio maxime enitet, quae tamen cum eorum fundamentali divinae vitae intuitu cohaeret. Sunt vita et mors [18]), quare nascentis defunctique naturam veteres sedulo perscrutati sunt [19]). Jus sacrum ad utramque partem pertinet, sicut Janus omnium Deorum Deus, ut Saliorum carmina referebant, biceps formatus initio ad orientem

16) Dirksen in libro: Uebersicht rc. p. 156—270. Ceterum alio loco hanc legem tantum Latinos sive Plebeios attigisse ostendam, qui rudes et omnium fere artium bonarum expertes in urbe Romana armis recepti, hac lege regebantur.

17) Cic. de leg. III, c. 8.

18) Pythagoras Samius ait omnium rerum initia esse bina ut finitum et infinitum, bonum et malum, mortem et vitam, diem et noctem cf. Varro de l. l. p. 22.

19) L. Lyd. de mensib. p. 173 sq. Censor: de die natali cap. V—XI.

et occidentem, hinc ad vitam et mortem, nec non ad senectutem et iuventutem respicit, qui apud Tuscos Tina appellabatur [19a]). Cum autem Tina, graeco cultu recepto, cum Jove confunderetur, apud Romanos Jovi, ut uni urbis penatium Summanus seu Mantus i. e. Deus noctis et inferorum opponitur [20]); inde Penates, vitam agentes et Lares, mortuorum manes colebantur, quare et sacra, ut supra iam monui, nocturna et diurna sunt [20a]). Igitur aedes Patriciorum priscis temporibus templum viventium et defunctorum fuit, quod in domus penetralibus lectus

---

19a) Varro quarto decimo rerum divinarum *Janum* apud Tuscos *coelum* dici auctor est et praesidem omnis actionis. Fronteius autem eum universi temporis esse arbitratur, ideoque duodecim aras habere eius templum, secundum mensium numerum. Laur. Lyd. de mens. p. 146. Gavius Bassius in eo libro, quem de diis composuit Janum bifrontem fingi ait, quasi supernm et inferum ianitorem Macr. Sat. I. c. 8. — Ad sacra Jani pertinent Flamen dialis et Salii, quod evidentissime probari potest. — Janus autem cohaeret, ut cl. Ritter, Vorhalle ꝛc. p. 199. 467, docet, cum Budha-Vischnu, qui etiam Jinab, Jiu (Tschin, Sin) appellatur, hinc in Tuscis pateris Tina dicitur. Nam formae δὶς (δι 2 = mas et foemina) daw, tschin, genius, gian cohaerent, ex quibus *Θευς*, *Δεὺς*, *Ζεὺς*, *Ζὴν*, *Δὴν*, Tina, Dianus, Janus emanarunt, cf. Baur l. c. II. 1. p. 223.

20) Anysius Februum inferum esse Thuscorum lingua ait. Labeo a luctu ait nominatum Februarium: feber enim apud Romanos luctus dicitur; illa autem mense mortuos i. e manes (quare Pluto Etrusca lingua Mantus vocabatur) colebant cf. Lyd. l. c. p 170. — Summanus est summus manus, qui et pater dicitur, quo convenit Cic. de N. D. II. 26. — Ceteroquin in mentem tibi reduco *νεκροπολιν* iuxta Thebas Aegyptiorum conditam atque defunctorum cultum apud omnes antiquitatis populos.

20a) Cf. Supra §. 2. Not. 2. et Gell. Noct. Att. III. 2.

genialis [21]) fuit, et patres sepeliebantur [22]), ubi familia sacrificia dabat et quo imagines maiorum praesentes erant. Dux et princeps generis pater et materfamilias vocabatur, ut Festus dicit. Nam pater duxit uxorem, quae sacratis nuptiis id est, confarreatione nupta materfamilias adpellabatur. Sicut patres patricii generis sunt, ita matres non nisi nobiles dicebantur [23]). Nobiles autem antiquitas appellat eos, quos patricios vocamus [24]). Paterfamilias ergo uxorem duxit — hinc in domum deductio — liberorum quaerendorum causa, nam divitiae et amplitudo aedis in liberis constabant, ut patris matrisque familias nomen per liberos in aeternum floreret. Ille fuit sacerdos, qui victimam vel hostiam ad aram in penetralibus aedis duxit, ut sacra faceret [25]); ille sortes duxit [26]), nec non aeris confessum, iudicatum atque addictum [26a]) educavitque liberos [27]) in caerimoniis et postremo

21) Lectus genialis a gignendo dictus quod Genio sacer fuit cf. Tacit. Ann. XV. c. 37. Non. Marc. s. v. Genialis s. v. Genialis lectus. Geniales. Genium. et Cens. de die natali. c. 3.

22) Serv. ad V. A. V, 64. Et sciendum, quia apud maiores ubi quis fuisset extinctus ad domum suam referebatur. Unde est: et illic septem erat diebus, octavo incendebatur, nono sepeliebatur; cf. ibid. VI, 152. Isid. Orig. XV, 11. et Cic. de leg. II, 22. Redditur enim terrae corpus et ita *locatum* ac situm quasi operimento matris obducitur. Eodemque ritu in eo sepulchro quo haud procul a Fonti ara, regem nostrum Numam conditum accepimus: gentemque Corneliam usque ad memoriam nostram hac sepultura scimus esse usam.

23) Serv. ad V. A. IX, 217.

24) Fest. s. v. familia.

25) Ut in sacris publicis cf. Plin. H. N. XXVIII, 2.

26) Cic. de re public. I, 34. p. 135.

26a) Gellius N. Att. XX. c. 1. Plaut. Poenul. III. 3. 94. Asin. V. 11. 87.

27) Liberos ducere L. 40. pr. D. de procurat. (3, 3.)

funera [28]) duxit [29]), hinc dominus funeris fuit. [30]) Sed simul generis princeps erat, nam ex eo stirps orta est igiturque familiae caput.

§. 13.

Nos, quod usque adhuc dedimus, et quod dabimus non ita certum esse contendimus, ut meliora excogitari posse negemus. Sed cum nihil certius sit, quam fontes in hac materia vario modo inter se discrepare, licere nobis videtur, quod alii etiam sumserunt, qui, quae ipsis ad veritatem proxime accedere viderentur, proferre non dubitaverunt. Attamen in nostrorum quaestionibus iurisconsultorum multa saepe praetermissa sunt, quae ut a Dionysio aliisque scriptoribus

28) Serv. ad Virg. Georg. IV, 256. Funera ducunt; cum exsequinali scilicet pompa; et ducere, proprie funerum est. Cf. L. 2. D. de in ius voc. (2. 4.) L. 14. §. 1. D. de religios. (11. 7) — Romani *moris* fuit propter caerimonias sacrorum, quibus P. R. obstrictus erat, ut potissimum cupressus, quae excisa renasci non solet in *vestibulo* mortui poneretur, ne quis impudens funestam domum *rem divinam* facturus introeat, et quasi attaminatus suscepta peragere non possit. Hinc Lucanus: et *non plebeius* luctus testata cupressus Fest. s. v. cupressi ibique Daceri nota. — Plin. 16. c. 10. 33.

29) Non. Marc. s. v. ducere.

30) Dominus appellatur convivii exhibitor unde et domina convivia cf. Non. Marc. p. 281. Nam a tumulo domum reversi amici cum cognatis funebri convivio excipiebantur; cf. Cramer: Zeitschrift für geschichtl. R. W. I. p. 316 et Ballhorn l. c. p. 65 sq. Fines vero huius libelli nimis transgrediar, si, ius sepulcrorum quod ad sacrum ius pertinet, fusius dilucidarem, et tamen sine eius disquisitione principia familiaris Patriciorum iuris haud possunt intelligi. Sin autem in Creuzeri cel. libro de antiquitatibus Romanorum, quae de funerum ritibus, Kirchmanno de funeribus Romanorum adhibito, attente perleges, multa de nostra materia ex tuo ingenio componere poteris. Cf. infra.

falso relata reiiciuntur. Talem disputandi modum probare non possumus, cum historica methodus, Savinio auspice, omnia fragmenta et relationes collecta inter se reconciliare conetur. Sic etiam nemo nostrorum iurisconsultorum, quantum scio, unquam quaestionem tulit, an formulae „*vitae necisque potestas*" semper eadem fuerit notio in iure Romano [31]). Quare qualis huius formulae fuerit sensus priscis temporibus ante decemvirales tabulas in sacro Patriciorum iure tandem aperire conabor, ne lectorum patientia diutius abutar [32]). Quodsi vero genuinam significationem vocis *nex* quaeras, Festus respondebit [33]). Necem suspicatum esse Verrium a *Graeco* duci; nam illi *νεκυν* mortuum dicunt. Neci datus *proprie* dicitur, qui *sine vulnere* interfectus est — ut veneno aut fame. Cum his conferendus est idem Festus alio loco: Occisum a necato distingui quidem, quod alterum a caedendo atque ictu fieri dicunt, alterum sine ictu. Romani autem cum posterioribus temporibus verbo necare sensu latiore utantur haud dubie antiquissimis saeculis sensu proprio adhibuerunt. Nex [34]) igitur

31) Haec antiqua formula, „vitae necisque potestas in filio (in filium)" — quam Brissonius de formulis praetermisit — invenitur apud Gell. N. A. V, 16 et in Collat. leg. M. et R. IV. 8. — Nam Gaius Veron. I. §. 52. et L. 1. §. 1. D. (I, 6). — §. 1. Inst. Theop. (1, 8.) vitae necisque potestatem in servos commemorant; denique Constantinus et Justinianus novam formulam composuerunt in L. 2. C. Theod. de lib. causa (4, 8) „ius vitae in liberos necisque potestas. L. ult. C. (8, 47) ius vitae in liberos necisque potestas."

32) Vid. tamen autoris diatribe: Heidelberger Jahrbücher 1828. p. 24.

33) Festus s. v. Necem. Neci. Occisum.

34) Nex ex Graeco *Νέκυα* orta: certe *νέκυες* notat defunctos. *Νέκυα* et *Νεκυία* actionem, quae ad mortuos pertinent cf. Cic. de

initio est naturalis mors, sine vulnere, sine ictu; deinde autem violenta, quae fame et veneno alicui contingit, denique etiam mors violenta securi atque ferro illata [35]). Alioquin licuisset patrifamilias, suos liberos veneno [36]) aut fame interficere, quod a veritate abhorret, quia vinculo religioso contradicit [37]). Aptissi-

---

leg. II. 22. p. 323. hinc *Nεκυία* sunt funeralia defunctorum sacra cf. Schneider: kritisch. Handwörterbuch. *Nεκύς* i. e defunctus. — Apud Romanos id carmen, quod cum lamentatione extremum atque ultiunm mortuo adcanitur, Nenia dicitur, ut Diomedes Grammaticus affirmat. Neniae *ὕμνοι επι των νεκρῶν;* cf. infra §. 24. Nota 92.

35) Ferro et fuste necare; securi necare; verberibus et telo necare: qua ex causa lexici necem proprie violentam, et tum demum naturalem mortem esse dicunt, certe vero perverse; nex est proprie naturalis mors, cuius multa exempla Forcellinus suppeditat; et per abusum etiam violenta. — Neci datum initio significat iusta defuncto facere, nam dare est sacrificare; et nex est *νέκυς;* graeci autem *νέκυν* mortunm dicunt, unde in Glossariis graecis novemdialia *ἔννατα ἐπὶ νεκροῦ ἀγόμενα* dicuntur. Novemdiales autem ludi dicti, qui in honorem *mortuorum* celebrabantur; cf. Serv. ad V. A. V, 64.

36) Ceteroquin venenum omne medicamentum est, quod alicui dabatur, nam medicinam, ut ait Non. Marc., et venenum dicimus; cf. L. 236. D. de V. S. Fortasse, ut dicis gratia hanc coniecturam aliis addam, apud antiquos fames interdum prout medicamentum adhibita est, ita ut morbosus qui fame sive aliquo medicamento (veneno) ad sanandum usus tamen decessit, necatus dicitur. Deinde autem vocem „venenum“ de malo veteres usurpant et saepissime hoc medicamento utebantur, ne, ut Plin. Hist. N. II, c. 63. ait, in taedio vitae dirae famis mors terrae meritis alienissima lenta nos consumeret tabe. — Tum autem si loca a Brissonio citata conferas ubique sermo est de *servis* qui a dominis fame necati sunt; contra autem lege 5. §. 3. D. de Carb. edicto. decretum est: maiorem curam matri adhiberi, ne fame pereat filius.

37) Contra bonos mores fecit qui parentibus patronove alimenta non

mum igitur mihi esse videtur, necem antiquissimo tempore mortem ac mortuum significasse defunctorum statum vivi conditioni, vitaeque contrarium [38]). Pater ergo familias vitae necisque res atque officia in familia sua duxit administravitque.

Cum duodecim autem tabulis Latinorum sive Plebeiorum instituta cum Patriciorum *moribus* aequarentur, ius patris cum patria Patriciorum potestate confundebatur, quod tantum ex Plebeiorum iure omnino intelligi potest. Familia igitur et sacra nisi morte et iure sacro dirimi potuerunt, nec enim *moribus* Romanorum convenit, filium temporalem habere [39]). Posset quidem quispiam opponere, emancipationem patriam potestatem solvere? Quod quamvis de *mancipiis* infitiandum non est; tamen de patria Patriciorum potestate non valet, sed ad mancipium sive ius patris [40]) referendum est et apud mancipia i. e. Plebeios ante Servium regnantem locum habere. Quae, quamquam ita sunt in promptu ut res disputatione non egeat, tamen sunt a me alio loco fusius disputata.

---

praestabat, sicut cum alimentis etiam habitatio cohaeret. *Moribus* etiam introductum erat, ut quis liberis impuberibus testamentum facere possit, donec masculi ad XIV annos perveniant, foeminae ad duodecim. L. 2. pr. de vulg. et pupil. subst. (28. 6). Testamentifactio enim semper secundum Patriciorum mores cum adoptione coniuncta fuit, ut, cui nulli puberes erant, testamentifactione suum genus nomenque conservaret; cf. infra. §. 22. Nota 58.

38) Cf. D. tit. Ne de statu defunctorum post quinq. quaer. (40, 15.)

39) L. 34. D. de adopt. (1, 7.)

40) E. g. Fest. s. v. Emancipati duobus modis intelliguntur, aut ii, qui ex *patris iure* exierunt: aut ii, qui aliorum fiunt dominii; hinc etiam coniunguntur ius et potestas sicut pecunia et res; L. 1. p. D. ad leg. Falc. (35. 2.)

§. 14.

Supra monuimus patriam potestatem *moribus* receptam esse [41]), genuinam ergo moris indolem, ut fusius explanarem, hoc loco aptissimum visum est. Mos, graece ἦθος [42]) est communis consensus omnium simul habitantium, ut ait Varro [43]). Qui autem antiquissimis temporibus simul habitabant, erant vir et uxor, ut supra exposui c. IV. §. 9. Nota 8. Infantes enim, Paullo referente [44]), non consentiunt, at vir, qui habet vires i. e. potestatem atque facultatem [45]) et uxor [46]) consentiunt, quare uxor marito concrescat et sentiat eius fulgorem [47]). Mos ergo genuina significatione est consuetudo i. e. concubitus sensu ho-

---

41) Cf. §. 11. Nota 6.

42) "Εθος, germanice, das Zusammenwohnen, die Gewöhnung, Gewohnheit. Cf. infre §. 23 Nota 80.

43) Serv. ad V. Aen. VII. 601. Varro vult morem communem consensum omnium simul habitantium, qui inveteratus consuetudinem facit.

44) L. 32. §. 2. D. de adq. possess. (41, 2)

45) Vir cohaeret cum voce verr, ανηρ; cf. quae contuli, in cel. Falkii, Staatsbürgerliches Magazin IX, 3. Vir dicitur, ut testis est Lactantius, quod maior in eo vis est, quam in foemina et hinc virtus nomen accepit; hinc vir pro marito; cf. Plaut. Amph. II, 11. 181. hinc officium virile; viriles portiones i. e aequales, quia, patrefamilias defuncto, patrimonium sive universitas in aequales partes dividebatur; cum quibus cohaeret everriator et universitas; cf. infra Nota 74. Cf. Virilitas. Virs. Viripotens. Virosa etc.

46) Uxor est unxor; cf. Don. in Terent. Hercyr. I, 2. v. 60. — *Moris* enim fuerat, ut nubentes puellae simul venissent ad limen mariti, et postes ante quam ingrederentur, propter auspicium castitatis se ornarent laneis villis, et oleo ungerent, unde uxores, quasi unxores dictae sunt. Serv. ad V. A. IV. 458.

47) L. 28. C. de nupt. (5, 4)

nestiore [48]). Habitatio enim templum fuit, in quo vir et uxor, nuptiis factis, sacra faciebant, ut pater et mater fierent, ut sobolem procrearent [49]). Nuptiae initio solennia confarreationis erant, qua vir et uxor ad communicationem divini humanique iuris coniungebantur. Ex hac genuina moris indole descendit iudicium de moribus [50]). Nam uxor, quae contra confarreationis morem [51]) violavit, quae contra individuam vitae consuetudinem *fecit* i. e quae adulteravit, initio a marito interfecta est; deinde autem mores graviores et leviores dividebantur, et qui quaeve sacratissimum vinculum, fidemque coniugalem fregerat, confarreatione diffarreatione soluta, dote puniebatur. Deinde autem mos est consuetudo simul habitantium in administrandis sacrificiis. Nam quaeque familia sacra fecit et ritus qui consensu membrorum recepti sunt, mos dicebatur [52]), hinc mos gentium [53]). Quare quod communis consensus simul habitantium gentium comprobavit *boni mores* i. e. bonorum virorum mores appellabantur [54]). Boni mores ergo legibus oppo-

48) Brissonius s. v. consuetudo. No. 6. Cum hoc sensu cohaerent boni atque mali mores. cf. Plaut. Amph. Prol. 131. sibi morem gerere. Donat. ad Terent. Adelph. II. 11. Morem gerere proprie et lenonis et meretricis. Gell. N. A. III. c. 16. — Quod veteres de Etruscis observarunt virum uxoremque sacra facientes atque epulantes sub eodem flamine accubuisse, etiam apud antiquissimos Romanos *morem* fuisse, partim confarreatione partim Servii relatis ad. V. A. VIII. 176. II. 214. I. 79 argui potest.

49) Cf. infra.

50) Cf. Hasse l. c. p. 174. Wächter, Ueber Ehescheidungen bei den Römern. p. 62—64. 103. Zimmern, l. c. I. p. 512. 515.

51) Mos confarreationis; cf. Serv. ad V. A. V, 339.

52) Plin. H. N. XXIII. c. 1.

53) Ex argumento relati apud Plin. l. c. VII. 16. cum II. 54.

54) Nam ritus est comprobata in administrandis sacrificiis consuetudo

nuntur, quia mores sunt tacitus consensus populi [55]) ad sacra spectans, nam Festus [56]), morem esse, refert, institutum patrium ad religiones caerimoniasque maiorum pertinentem. Populum initio ex Patriciorum gentibus tantum constitisse nemo nostra aetate dubitat, qui cl. Niebuhrii Schulziique disqnisitiones perlustravit. Patricii ut ingenui, cives et patresfamilias status rei publicae participes erant, hinc omne eorum ius fuit publicum; nam ius publicum ad statum rei publicae spectat et in sacris, sacerdotibus, magistratibus consistit [57]). Status autem rei publicae est status familiae, civitatis et libertatis. Patricii eorumque liberi, qui virilem togam adepti i. e. puberes participes civitatis erant, pro foco et ara sacrificabant, ad honores i. e. ad magistratus et sacerdotia adsciti sunt [58]). Quae autem ab civitate in administrandis sacrificiis (sive publicis sive privatis) tacito simul habitantium consensu comprobata recepta erant, mos dicebatur; hinc fuit *institutum maiorum maxime ad religiones et caerimonias* spectans. Religiones autem caerimoniaeque ita inter se discrepant, ut religio maxime ad Deorum manium, defunctorum sacra, ad ius sepulcri referenda sit; caerimoniae autem sive ab cero (i. e.

---

quam civitas ex alieno ascivit sibi, cum receptum est, *mos* appellatur. Serv. l. c. XII. 836; cf. Nota 43.

55) Ulp. frag. pr. §. 4. Briss. s. h. v.

56) Macrob. Sat. III. 8. Festus, mos est, inquit, institutum patrium, pertinens ad religiones caerimoniasque *maiorum;* cf. Festus h. v. Serv. ad V. A. VIII. 316. — more Gallorum ad III. 57. more Pontificium. ad V. Georg. I. 21. mos Flamini ad V. Aen. IV. 364. V. 329. I. 730. hinc Catonis carmen de moribus. — Mac. Sat. III. 9.

57) L. 1. §. 2 D. de iust. et iure. (1. 1)

58) Varro de ling. lat. p. 20 et 22. — Cf. supra §. 5. Not. 34. 37. §. 2. Not. 9. et infra §. 23. Not. 65.

sero) i. e. creatore, sive ab Cerere — unde in Glossariis caerimonia graece δημήτρεια appellantur — huius verbi etymon deducas [59]), semper ad sacra Deorum superorum, qui vitam, lucem, progeniemque suppeditant — [60]). Quamvis enim verbo sacri quidquid Diis dedicatum atque consecratum est continetur, attamen, si sacrum religioso opponitur, illud ad Deos superos referendum [61]); at religiosum est sepulcrum, ubi mortuus est sepultus aut humatus [62]). Verum religionis [63]) vox quoque generaliter ponitur, ita ut religiosi dicantur, qui faciendarum praetermittendarumque rerum divinarum secundum civitatis morem dilectum habent, nec se superstitionibus implicant [64]). Pleniora te argumenta requirere video, quod sacra et caerimoniae eadem sint et mihi Servii commentarios perlustranti occurrunt ad Virg. Aen. IV. v. 302. „Sane sciendum, orgia apud Graecos dici sacra om-

59) Fest. s. v. Caerimoniae, ibique Dacerius.

60) Hanc ob causam res divini iuris sacrae et religiosae sunt; sacrae quae Diis superis consecratae, religiosae qne Diis manibus relictae Gaius II. §. 3. 4.

61) Festus s. v. religiosus. Maximus Pontifex.

62) Briss. s. v. religiosus I. ibique l. c. cf. Dig. tit. de relig. et sumpt. funer (11. 7). — Hinc religio saepissime pro metu ponitur. Serv. ad V. A. VII. 60. XII. 817. VI. 596. cf. Heimbachii dissert. de C. Aelio Gallo p. 23 sq.

63) Religio enim, ut suspicor, derivanda est ab rite et ligatum. Quidquid rite ligatum, est religiosum; ritus enim est mos comprobatus in administrandis sacrificiis. Ad hoc alludit Serv. ad V. A. XII. 181. Religione homines religantur ad cultum divinum. Ex aliis atque excultis temporibus sunt dirivationes, quas doctores nunc exhibent cf. e. g. Lang, Geschichte und Institutionen des — Kirchenrechts 1827. I. §. 1. Nota a.

64) Hinc necessitudo est ius quoddam et *vinculum religiosae coniunctionis.*

nia, sicut apud Latinos caerimoniae dicuntur" [65]). Caerimoniae sunt omnia sacra; at qui caerimonias religionibus opponit, ambas distinguit, quare mos institutum patrium est, quod ad caerimonias et religiones maxime pertiuet. Postea mos aliam significationem induit; instituta enim veterum magnopere in naturae iuribus fundata necessaria sunt; quidquid necessarium per multos annos, consensu omnium simul habitantium observatum atque excultum, consuetudo fit, quare sensim sensimque mos confunditur cum consuetudine, sic tamen ut mos ad instituta antiquorum in sacro iure fundata, consuetudo autem ad instituta civilia usu recepta referatur [66]). Nunquam autem nova vocis significatio ab veterrima omnino recedit, difficile autem est, variarum transitus atque formas significationum semper exquirere. Facta ergo quae pietatem, existimationem, verecundiam laedunt contra bonos mores [67]) sive statum rei Patriciorum sive publicae fiunt. [68]). Nam pietas est obsequium erga Deos atque parentes [69]); existimatio autem est status illaesae

65) Servii verba cl. Niebuhrii coniecturam, quamvis ab ipso haud merito nunc reprobatam Agyllam sive Caere Romae μητροπολιν fuisse evidentissime confirmant. Romani enim a Caere caerimonia deducunt.

66) Cf. Briss. s. v. consuetudo. et cel. Puchta, das Gewohnheitsrecht I. Erlangen 1828.

67) L. 15. D. de cond. instit. (28. 7)

68) Cf. cel. Burchardi, Grundzüge des Rechtssystems der Römer ꝛc. 1822 p. 258—290, ubi autem historica ratio, quam tetigi, desideratur.

69) Cic. Top. 2. — de leg. II. 8. 11. Fest. h. v. L. 7 de testam. manumiss. (7, 2). Serv. ad Virg. Aen. I. 378. Sane pius potest esse et purus et innocens, et omni carens scelere. VIII. 82. Quidenim est pium nisi castum? quoniam piare est propitiare,

dignitatis i. e. status civitatis [70]). Qui statum civitatis amisit ab honoribus i. e. ab sacerdotiis et magistratibus — quibus initio Patricii tantum gavisi sunt — exclusus fuit. Honesti viri, qui ad honores adsciti, qui eos gerebant, opponuntur egenis i. e. qui ne gentem quidem habent i. e. plebeiis [71]). Verecundia autem est reverentia et pudor, quae ad intimam familiae vitam, ad virum uxoremque pertinet [72]). Cum ergo mos institutum maiorum sit, quod ad caerimonias religionesque spectat, patriam potestatem moribus fundatam ad utramque partem spectare necesse est, ut caeterae instituta quae moribus receptae sunt. Tutela atque curatela agnatorum ad impuberum, mulierum prodigorum furiosorum vitam mortemque pertinent [73]). Nam ad quem emolumentum hereditatis alicuius pupilli furiosique pervenit, si hi morientur, ad eundum pertinet officium tutelae curatelaeque eius. Qui iure hereditatem accepit, iusta defuncto facere debet, quae si non fecit, suo capite luit [74]).

---

quod accidere non potest nisi caste inservitum erit rebus sacris. Cf. Brissonius h. v.

70) L. 5. §. 1. D. de extraord. cognit. (50, 13)

71) L. 1. §. 2. D. de effractor. (47, 18) — Quare ingenua, viri honesti uxor, honesta dicebatur et materfamilias fuit, et in *coniunctionibus* non solum quid liceat considerandum fuit, sed et quid honestum; cf. Brisson. h. v.

72) Cf. Briss. h. v. — L. 31. §. 1. (39. 5) L. 14. §. 1. D. (49. 17) L. 41. D. (38. 1) Cic. de re publ. V. 4. Nec vero tam metu poenaque terrentur, quae est constituta legibus, quam *verecundia;* quam natura homini dedit, quasi quendam vituperationis non iniustae timorem. Cic. Partitt. Orat. 23. 79. de leg. I. 6. 51

73) L. 1. pr. D. de curat. et fur. (27. 10) Paul. S. R. III. 4. §. 7. 12.

74) Fest. s. v. everriator. Haud nimis audax everriatorem atque eversorem cum germanica voce Were, Herd, graece *ἕρκος* co-

§. 15.

Ostendit utique familiae consilium nostram sententiam veram esse, sicut diversas opiniones ex fontibus partim haustas inter se reconciliari posse, puto, si iura Patriciorum atque Latinorum sive Pleheiorum instituta ante duodecim tabulas dirimas. Attamen nonnulli affirmant, demum posterioribus saeculis patriam potestatem mitiorem fuisse, liberae rei publicae aetate familiae consilium ortum esse. Verum enim vero, quamvis huic errori ab aliis fortasse iam satis obviam itum fuerit, quod tamen alio modo fecerunt, huius rei obscuritates propulsare conabar. Nam eorum sententiam probare non possum, qui putant, patris summum in liberos ius in civitate Romana antiquissimum et iustum fuisse [75]). Si enim primis infantiae populi temporibus tale imperium conveniens videri potest, tamdiu haec iura perdurant, quam homines plane rudes ac bonarum rerum artiumque expertes sunt. Qui autem affirmant, Romanos initio simplices tamen iustos ac religiosissimos fuisse, quomodo, quae-

---

haerere existimo. Eversor enim est prodigus qui bona dilapidat ideoque sub curatoribus legitimis est, quia substantiam suam, quae, mortuo ipso, ad agnatos gentilesque pertinet, rationabiliter gubernare non potest. Gaius Epit. I. 8. Eversor enim patrimonium familiamque dispersit, extra verrem (hortum) dilapidet. — Jus Jütiae I. c. 28 Herrier tutorem esse prohibet, nam Herrier est dissipator i. e. qui extra clausuram (Were) Herritz, Harde, Heerd, bona dispersit. — Everriator autem est, qui, *accepta iure hereditate*, iusta facere defuncto debet, nam heres, postquam ritus ante funerationem peractus erat, *mortui cadaver extulit.* Donat in And. Terentii. *Efferre* (everre) enim est *foras* ferre i. e. extra ἕρκον, Were. Ad hoc verborum nexum etiam universitas nec non ver sacrum pertinent.

75) Praeter alios novissime hanc sententiam defendit cel. Abegg. De antiquis. Roman. iure crimiuali p. 56.

so, hanc legem barbaram defendent? Praetermittunt doctissimi illa innumerabilia monumenta, quae evidentissime varios populos in septem collibus sedem posuisse probant; an cel. Niebuhrii annales frusta novum diem in Romana historia Ictis nobis aperierunt? Si ergo Patriciorum sive Etruscorum atque Plebeiorum i. e Latinorum Sabinorumque iura moresque distinguimus, multos laquaeos enodare possumus. Imperium enim domesticum, quod Dionysio teste, Romulus patri in filium concessit [76]) ad Plebeios referri debet, sicut alia iam supra laudata lex [77]). Tum autem invenies, Romuli, Numae [78]), Servii Tullii et Decemvirorum legibus [79]) rudia atque barbara Latinorum instituta sensim sensimque abolita esse. Quod apud Patricios patria potestas fuit, apud Plebeios mancipium dicebatur. Attamen duodecim tabulis utrumque institutum partim confundebatur [80]); igitur etiam ante decemvirales tabulas patria Patriciorum potestas ius gladii non fuit; at paterfamilias administravit res familiae nec non de rebus vitae et funeralibus curavit [81]). Potestas autem, comparato etymo vocis cum

76) Dion. Halic. II. p. 97; cf. Dirksen: Versuche p. 301.

77) Cf. supra. Dion. Hal. II. p. 88.

78) Plut. Numa. c. 17. Dirksen: Versuche p. 303.

79) Sententiae nostrae ergo non contrarium est, si in Dion. Hal. II. p. 97. legimus, multos fuisse, quibus lex Romuli de iure occidendorum et vendendorum lata displicuerit, quin et Decemviris displicuisse, sed hos non ausos fuisse hanc legem tollere. — Quod enim ad plebeios attinet, nam plebs consuetudines retinere voluit.

80) Quare invenies in tabulis restitutis e. g. Patri in filium vitae necisque, eumque vendendi ius atque potestas esto.

81) Atque vero contra Romanae historiae progressum est, si Romae primordiis patriam potestatem tam liberam esse existimamus;

sensu, reducenda est ad Deos potes, potentes, qui in mysteriis Samothraciis θεοί δυνατοι colebantur [82]). Sed hi Dii illi principes sunt, qui apud omnes antiquitatis populos inveniuntur, qui coelum et terram, aquam et ignem, mas et foeminam significant. Sicut Abram est pater magnae multitudinis, ita etiam potens [83]) est, qui habet multos liberos; potestas ergo est amplitudo [84]) patrisfamilias. Quare autores inter patriam potestatem, imperium et dominium accurate distinguunt [85]), quamvis omnia tria nomina voce potestatis posterioribus temporibus, iureconsulti com-

nam cum urbis initia religione imbuta essent, plebs autem tantum tolleraretur, in secunda periodo, Patriciorum moribus labefactatis, qua libido et plebeiorum libertas imperavit, XII tabulis latis, exempla saevientium in liberos patrum crudelissima invenimus. At nullum ex his temporibus exemplum in lucem proferes inter atrocissimas liberorum iugulationes patrem filios *veneno aut fame necasse;* sed ut Brutus aliique gladio eos interfecisse. — Fortasse tamen, cum nece violenta mors significaretur, fame necatus appellabatur, qui igni et aqua interdictus est: nam cui aqua et igni interdictum erat, desiit etiam in potestate parentis esse cf. Gaius I. §. 128. Qua ex causa accusatus interdum propinquorum consilium voluntario aecessu vitavit. Val. Max. VI. 1. §. 5.

82) Varro de l. L. p. 62.

83) Propert. II. 27, 21. Nunc admirentur quod tam mihi pulchra puella
Serviat, et tota dicar in urbe *potens.*
Cf. Hor. Epod. XV, 12. — Gloss. erot. h. v. et Briss. Varro p. 15.

84) Nam potestas, ut omnia substantiva, quae in fine syllabam „tas" habent, venit ab adiectivo, hinc a potente; quare potestas est qualitas potentis. Potens sensu eminentiore autem est pater; pater autem dictus eo, quod patratione peracta filium procreat. Patratio enim est rei venerae consummatio Isid. Orig. IX. c. 7.

85) L. 215. D. de V. S. in persona *liberorum* patria potestas.

prehendunt. Ergo patria Patriciorum potestas est amplitudo, quam pater in sua familia habet, nam princeps est et generis dux, quem nuptiae demonstrant, qui uxorem duxerat liberorum quaerendorum causa, qui aedem aedificavit, maceriamque duxit [86]), qui sortem [87]), arma manumque i. e. clientes et deinde funera ducebat. Ob hanc significationem in antiqua illa formula potestas in *liberis*, *endo filio*, et non in *filium* [88]) dicitur. Posterioribus saeculis invenitur vitae ius necisque potestas in liberos aeque ut in servos [89]), quia post decemvirales tabulas ex hac formula imprimis ius occidendi, quale plebeiorum fuit, eliciebatur.

§. 16.

Jam si patriae potestatis ius post decemviros fusius probare studerem, in quo omnes fere conspirant, longus fierem. Attamen aliis quibusdam argumentis nostra sententia confirmari posse mihi videtur. Posset aliquis mihi obiicere, patremfamilias domesticum iudicem et domesticum magistratum interdum dici [90]). Merito ergo quaeritur, utrum haec significatio post duodecim tabulas orta sit, an iam antea paterfamilias iudex domesticus dicatur? Si moris Romani fuit, sicut ego supra exposui, ut Romani vocabula antiquissima retinerent et notiones temporibus excultas in his collocarent, necesse est, iam priscis temporibus

86) L. 19. D. de comm. praed. (8. 4). Cf. Serv. ad V. A. I, 423.

87) Ducere sortem: statuere. Serv. l. c. VI, 22. V, 490.

88) Gell. N. A. V. 19. utique ei vitae necisque *in eo* potestas siet uti patri *endo filio* est. cf. Cic. de Invent. — agnatorum gentiliumque *in eo* pecuniaque eius potestas esto. Hinc etiam tutela est ius ac potestas in *capite libero*.

89) Gaius I. §. 52 et 55.

90) Senec. lib. II. contr. 3. de benef. III, 11.

vocabulum dicendi ad rem divinam attinet: nam dicere ponitur pro dicare [97]). In usu enim est, ut dicamus, Servio referente, sacerdos dictus est numini, hoc est ad obsequium [98]) datus [99]). Deinde dicere pro nominare ponitur [100]). Paterfamilias enim liberis nomen dedit, sive eos dixit, tum autem filiabus nubentibus dotem dixit [101]), auspicibus autoribus [102]);

---

quod tenueris, habendum alteri tradere L. 74 §. ult. D. de V. S. et L. 128 D. de R. I. — Quare deinde ius dicere.

97) Hinc iubere ponebant veteres pro dicere Fest. h. v.

98) Ut sacerdos Diis obsequium exhibet, filii parentibus obsequium praestare debent.

99) Serv. ad V. A. I, 73. ad Georg. III. 14.

100) Serv. ad V. A. III, 335 dixit, nominavit ut VII, 331. I, 533.

101) Cf. Gaius epit. L. 2. tit. 9. §. 3. Ulp. VI. 1. Cf. Hasse cel. Güterrecht der Ehegatten nach römischem Rechte I. p. 259 sq. Löhr cel. Zeitschrift für Civilrecht und Prozeß I. 2. p. 227. Cf. Non. Marc. p. 280. — dicere est promittere.

102) Liberi enim cum sacrorum bonorumque participes essent, filia confarreatione in alia familia collocata, suam hanc bonorum partem ad mariti sacra celebranda accepit, quae a patrefamilias dicebatur, per auspices — si nuptiae factae erant — marito dotis nomine dabatur. Quae bonorum pars *dos profectitia* dicta, quia pro sacris (facere enim est sacrificare) dabatur et hoc fuit patris et deinde familiae officium. Qua ex causa deinde profectitia dos — sacris solutis — dicebatur, quae a *patre* vel *parente* profecta est, ut Ulpianus refert. Dos fuit iuris publici, nam initio quaeque familia in sacris fundata, populo concedente, certum fundum possidebat; nulla ergo filia sine dote fuit, nam indotata meretrix erat, quae corpore dotem quaerebat, ut ait Plautus. Patrefamilias defuncto, vidua dotem recepit, quae secundum ius publicum, ut sacra faceret, eius fuit, confarreatione autem in mariti familiam transiverat. Nam cum mulieres in perpetua tutela essent, necesse fuit, vidua dotem haberet, ut tutor sacra facere posset. Aliam sententiam defendit cel. Hasse, Rheinisches Museum II. 1. p. 75—86.

denique indicium addixit [103]). — Maximi momenti indicium domesticum antiquissimis temporibus fuisse videtur, quia ad hoc *necessarii* adhibebantur. Necessarii autem, ut supra relatum est, fuerunt affines et cognati, qui vinculo religiosae coniunctionis rite ligati, qui iure officioque affinitatis familiaritatisque coniuncti erant [104]). Variae ergo familiae confarreatione inter se iungebantur; genus [105]) enim uxoris cum viri gente sacratis nuptiis miscebantur; at mulier familiae *suae* et caput et finis est. Si unus vel alter e familia contra officia iussaque i. e. dicta [106]) aliquid egit, si inter necessarios qerela exorta fuit, paterfamilias, sub cuius potestate, ad *cuius familiam* pertinebat, inofficiosus erat, indicium addixit. Apud antiquos Patricios mos enim fuit tumulis honorem dandi et patrias animas placandi, quem morem Romani poetae Aeneae adscribebant. De his feriis quae Feralia dicebantur, Ovidius notat [107]):

Est honor et tumulis. Animas placate paternas;
  Parvaque in exstinctas munera ferte pyras.
Parva petunt Manes. Pietas pro divite grata est
  Munere. —
Hanc qui iusta ferunt, dixere Feralia lucem;
  Ultima placandis Manibus illa dies.

---

103) Varro l. c. p. 239 Addixit indicium.

104) Gell. XIII. 3.

105) Genus ad maternam gentem, gens ad paternam refertur. Suet. Caes. c. 6, cf. tamen infra.

106) Fest. s. v. dicere.

107) Fast. ed Bip. II, 543.

Hunc *morem* Aeneas, pietatis idoneus auctor,
  Attulit in terras, *iuste* Latine, tuas,
Ille *patris genio* solemnia dona ferebat;
  Hinc populi ritus edidicere pios.
At quondam, dum longa gerunt pugnacibus armis
  Bella, *Parentales* deseruere *dies*.

Postquam unus vel alter e familia decesserat, totaque familia Manibus parentaverat, omnes propinqui ad socias dapes venerunt, quod convivium solemne Caristia vocabatur, cui praeter cognatos et affines nemo aderat. Eis autem ob mortem defuncti, qui desiit sacra facere, officium lugendi erat [108]. Minuebatur [109]) autem eorum luctus cum *liberi nascerentur*, cum *honos in familiam* veniret, cum *pater* aut *liberi* aut *vir* aut *frater* ab hoste captus domum rediret, cum *puella* desponsaretur, cum propiore quis cognatione, quam is qui lugeretur natus esset, cum in casto Cereris constitissent [110]). Affines et cognati Caristiis aderant ut, si qua inter eos querela exorta, apud sacra mensae et hilaritatem animorum concordia restitueretur [111]). Tum paterfamilias, dissensione cognita

---

108) Fragm. Vat. §. 321 ed. Buchholz. Paull. R. S. 1. 21. 13.

109) Fest. s. v. Minuitur.

110) Sequebatur — manibus rite conditis — epulae, quas inibant propinqui coronati: apud quas de mortui laude cum quid veri erat praedicatum (nam mentiri nefas habebatur) iusta confecta erant. — Quam legem eisdem prope verbis nostri decemviri in decimam tabulam coniecerunt. Cic. de leg. II. §. 25. — Cupressus — Diti sacra et ideo funebri signo ad domos posita fuit. Plin. H. N. XVI. 33.

111) Val. Maxim. II. c. 1. §. 8. Convivium etiam solemne maiores instituerunt, idque Caristia appellaverunt, cui praeter cognatos et affines nemo interponebatur: ut, si qua inter necessarios querela esset exorta, apud sacra mensae et hilaritatem animorum fautoribus concordiae adhibitis tolleretur. Cf. Creuzers Symbolik II. p. 922. Ovid. Fast. II. 617.

Proxima cognati dixere Caristia cari,
Et venit ad socias turba propinqua dapes.
Scilicet a tumulis, et, qui periere, propinquis,
Protinus ad vivos ora referre iuvat:
Postque tot amissos, quidquid de sanguine restat,
Adspicere: et *generis* dinumerare gradus.

atque consilio cognatorum et affinium adhibito, iurgantes reconciliare coepit. Jurgium enim erat dissensio inter vicinos i. e. affines ut supra monui. Saepissime iurgantes coniuges [112]) ducem principemque generis, lubenter secuti sunt; nam, qui tunc dux familiae erat, eidem mox fortasse Lari parentaverunt, qui deinde vel placido numine benevolis et iustis aderat, vel iniustos, ut Larva implacabilis, lugubri ululatu persequebatur. Sin autem querela inter necessarios exorta, autore patrefamilias precibusque cognatis tolli non potuit, tum cognita querela, consilio propinquorum adhibito, patrifamilias sententiam ferre et exsequi licuit. Ex his igitur eius potestas sive iudicium domesticum constabat, quod e Varrone probari potest, qui de etymologia vocis iudex dicit, iudex quod iudicat (ius dicat) *accepta potestate* i. e. *quibusdam verbis dicendo finit* [113]). Patris iudicium ergo in eo etiam antea constitisse liquet, quod cognita causa, consilio propinquorum adhibito certis verbis sententiam ferret. Cum autem de uxoris moribus querela exoreretur, tum vir, qui etiam in patria potestate

---

Personae, quas deinde Ovidius dinumerat, sunt necessarii proximi. Tum V. 631.

> Dis *generis* date tura *bonis*. Concordia fertur
> Illo praecipue mitis adesse die.
> Et libate dapes: ut grati pignus honoris
> Nutriat incinctos missa patella Lares.

112) L. 27. D. de pactis dot. Briss. v. iurgare et infra.

113) Varro de l. l. VI. p. 238. Quibuscum verbis convenit Festus s. v. *cum potestate* dicebatur de eo, qui a populo alicui negotio praeficiebatur. — Ut populus initio ex Patriciorum generibus in comitiis curiatis constabat, familiae etiam participes *populi* nomine comprehenduntur Pl. H. N. XXXV. c. 2. Paterfamilias igitur iudicio domestico a necessariis praepositus sententiam dixit.

erat, iudex in consilio necessariorum fuit [114]). Si quoque post duodecim tabulas mutata varia sunt, tamen patrisfamilias officium fuit propinquorum consilium advocare, quare notam censoriam non evitavit [115]), qui amicos [116]) convocandi morem neglexit. At potestas latius extendebatur ut paterfamilias non solum de iurgio cognovit, sed etiam de delictis [117]), quae initio ad populum pertinerent. Hoc autem vetus institutum in more [118]) fundatum, quod ad vitam necemque necessariorum i. e. affinium et cognatorum s. st. pertinebat, ad novissima saecula pervenit, ita tamen, ut, vinculo familiae soluto, affines et cognati essent qui non solum ad *unam eademque familiam* sed ad patris uxorisque stirpem pertinerent. In genere

---

114) Vir pro censore est. Cf. Gell. X. c. 23. Val. Max. VII. §. 1.

115) Val. Max II. 9, 2. M. Valerius Max. et C. Junius Bubulcus Brutus censores — — L. Antonium senatu moverunt: quod, quam virginem in matrimonium duxerat, repudiasset nullo amicorum consilio adhibito.

116) De amicorum notione cf. L. 223 §. 1. D. de V. S. et Cic. de amicitia c. IV. V. — Dirksens Versuche, p. 88. ubi tamen varia de genuina notione desiderantur.

117) Val. Maxim. V. 8. §. 2. Cassius filium, qui tribunus plebis agrariam legem primus tulerat — postquam illam potestatem deposuit, adhibito propinquorum et amicorum consilio, affectati regni crimine domi damnavit: verberibusque affectum necari iussit: ac peculium eius Cereri consecravit. c. IX. §. 1. Dion. Hal. II. 26. Liv. II. 41. Si quispiam obiiciat, iam J. Brutum in liberos animadvertisse, tamen notandum est J. Bruti severitatem ad Consulatum atque ad perduellionem non ad domestica indicia referendum esse; Brutus enim ut Valerius V. 8 ait, exuit patrem ut Consulem ageret.

118) Suet. Tib. c. 35. Matrones prostratae pudicitiae, quibus accusator publicus deesset, ut propinqui *more maiorum* de communi sententia coercerent, autor fuit. — Plin. H. N. XIV. 13. Tacit. ann. XIII. 32.

materno atque viri gente qui religioso vinculo coniungebantur, fundatum erat; quae divini iuris communicatio causa fuit, ut varia officia atque iura inter necessarios, observarentur; sed supervacuum est hoc quoque loco de ea re curiosius tractare [119]).

§. 17.

His praemissis, patriam potestatem proprie Patriciorum fuisse neminem fugit; si quis tamen nostrae sententiae non omnino adsentiat, facillime omnia dubia tollere poterit, si caetera iuris instituta perscrutabitur. Caeterum hoc unum omnino praeterire nequeo, quod maximi momenti esse videtur. Ex Gaii commentariis [120]) connubium effecisse scimus, ut liberi in patria potestate essent. Jam vero Plebeiis cum ante legem Canuleiam nullum connubium esset; suos gnatos in patria potestate habere non potuerunt: nam connubio non interveniente liberi matrem sequuntur, quia pars viscerum putabantur. Quod naturale vinculum tantum nuptiis sive connubio interposito solvebatur. Quodsi Plebeiorum gnati ante legem Canuleiam ad matris conditionem accesserunt, illa lata, ad patris statum, apparet patriam potestatem e connubio ortam [121]), valde differre a patris iure

---

119) Quae nunc cel. Klenze (Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft VI. 1 et 2.) das Familienrecht der Cognaten und Affinen nach römischen und verwandten Rechten, Berlin 1828, diligentissime explicavit; cuius tamen sententiae adsentire nequeo, quatenus iam priscis temporibus affinium et cognatorum notio in uxoris genus extenditur; cum antiquissimo tempore haud dubie necessarii essent, qui *parentum liberorumve locum inter se obtinent*, quod etiam aliorum populorum institutis argui potest.

120) Gaius I, §. 56.

121) Isid. Orig. XI, c. 8.

plebeii generis. Simulac enim Plebeii connubium consecuti sunt, eorum proles in potestate fuit, quod inter cives Romanos connubium patriae potestatis causa erat. Ex quo intelligitur, quod connubium interveniens patriam potestatem fundat, ut liberi patrem sequerentur [122]), plebem ante legem Canuleiam patria potestate caruisse. Quorum in liberos ius fuit mancipium. Patria igitur Patriciorum potestas priscis temporibus amplitudo potentis fuit, qui confarreatione uxorem duxit, liberisque susceptis, princeps sui generis factus est, cuique vitae necisque potestas in sua familia fuit. Et sicut, vicinis convocatis eorumque arbitratu monstrum tantum interficere potuit, ita in gravissimo delicto uxorem in adulterio deprehensam interficere mos i. e. antiqua religio concessit [123]). Alias autem iudicio domestico interrogato eiusque ex sententia cognovit. Qui in potestate erant etiam familiae sacris obstringebantur hincque in nostris fontibus dicitur: in familiam et sacra transire [124]). Cum familia autem universitas esset, liberi, ratione dominii sive pecuniae habita, condominii sive consortes erant [125]),

---

122) Liv. IV, 5.

123) Dionys. Halic. II. p. 69. *θανάτῳ ζημιοῦν*, secundum vaticanum codicem. Cf. etiam Gell. N. A. X. c. 23. In adulterio uxorem tuam si deprehendisses, *sine iudicio* impune necares.

124) L. 2. C. de bonis quae lib. (6, 61) L. 12. C. de collat. (6, 20) Val. Max. VII, 2. Cic. pro domo 13. 14.

125) Gaius II, §. 156. — Quatenus filiusfamilias et quidem pubes comitiorum particeps erat, iure quoque civili obligari et condemnari potuit. *Suo* autem *nomine* filiusfamilias nullam actionem habuit, quia patrefamilias vivente nomine caruit; nam paterfamilias princeps et dux generis i. e. nominis fuit. Cf. L. 9 de Obl. et Act. 44, 7 et supra §. 5 et infra; aliam sententiam defendit cel. Zimmern l. c. I. p. 674. — Obligatio igitur inter patrem liberosque nulla exstat, quia tota familia pecuniae parti-

quare sui i. e. proprii heredes, sicut familia non solum ad personas sed ad res etiam referebantur [126]. Fuerunt ergo liberi nequaquam in servitio ut mancipia, plebeiorum gnati, nam patriciorum potestas gladii ius non fuit [127]. Jus familiare pars iuris civitatis; pars autem maiori cessit et fiebat privatum ius, ita ut patria potestas non magis ullo modo iure publico derogari posset [128], quam ea nudo consensu unquam solvebatur [129]. Nam si filiusfamilias rem publicam sive honorem accepit, rei publicae tantum maiestati patria maiestas [130], filio munere fungente, recedit. Patria

---

ceps fuit, hinc obligatio in solidum vetustissima ad Patriciorum ius pertinet, nec non literarum obligatio.

126) L. 195 D. de V. S. Patria potestate post XII tabulas mutata, familiae etiam notio duplex fuit; nam non solum liberis hominibus dicebatur, sed etiam cum patria potestas, latius quidem accepto vocabulo, extenderetur, ut liberi exponi, alienari, abdicari i. e. exheredari, necari i. e. interfici impune fere possent, familiae appellatio ad corpus hominum eiusmodi, qui rerum fere similes habeotur i. e. servi referebatur. Qua ex causa famulatus pro dominatione ponitur cf. e. g. Non. Marc. p. 109.

127) Quantum distet *potestas gladii* i. e. *merum imperium* quod etiam potestas dicitur *ab patria potestate* iam liquet ex definitione L. 215 de V. S. nam potestatis verbo exprimitur in persona magistratuum, imperium; imperium autem quod potestas appellatur nil est, quam animadvertere in facinorosos homines sine iurisdictione. Quam ob rem *more maiorum* iurisdictio quidem transferri, sed merum imperium, quod *lege* datur, non potest transire L. 2. §. 1. D. de offic. ei, cui mand. iurisd. — Quae non accurate, mea sententia, cel. Burchardi l. c. p. 121. discrevit.

128) Nam quod ad ius publicum attinet, non sequitur ius potestatis. L. 14. pr. D. ad Sct. Treb. (36. 1).

129) L. 3. C. de emancip. (8. 49).

130) Maiestas genuina notione nil est, quam amplitudo maioris et abusive pro iure gladii ponitur. Hinc Cicero de orat. II. §. 164. Si maiestas est amplitudo ac dignitas civitatis.

Patriciorum potestas sive familia, in sacris nisa, ad vitam funeraque pertinens, sacris tantum sive morte dirimi potuit. Nam duce familiae defuncto, liberi sui heredes erant; non minus qui diminutione maxima et media libertatem civitatemque amiserat, familiae particeps esse desiit, quia tum ex sacris publicis exclusus erat; item filia confarreatione nupta in alia sacra transibat. Ingenui sive Patricii eorumque liberi cives fuerunt et comitiorum participes simul pro re publica sacrificarunt, ut urbs in aeternum floreret [131]). A curiatis comitiis exclusus, liber esse desiit, nomenque amisit, nam simul e gente eiectus fuit, hinc ignominia [132]) adspersus est, quare igni et aqua interdicebatur i. e. cum ingenua nullum connubium ei fuit, statu rei publicae privatus.

131) Hinc sacerdotale urbis nomen Flora fuit. Laur. Lyd. de mens. p. 230.

132) Ignominia est nominis nota. Nota dicitur probri signum. Continuoque notas et *nomina gentis inurunt* Non. Marc. p. 354. Fest. s. v. nota et dignorant. — Ignominia initio erat poena eius, qui nomen amisit. Qui enim curiatorum comitiorum particeps fuit, nomen gessit; nomen autem ad gentes civium patricias pertinebat; qui autem ab his poenae capitalis causa removebatur, publico ergo indicio condemnatus — improbus et intestabilis — liber esse desiit et cum libertate civitatem familiamque amisit, servus hinc factus est, qui sine nomine (cf. infra §. 27 Nota 129) fuit. Servo autem priscis temporibus nota i. e. signum gentis sive familiae inurebatur, cuius multa crudelissimi moris exempla congessit Briss. s. v. nota 2. Hinc est deinde ignominia, nominis nota.

Caput VI.

De Agnatione et Gentilitate.

§. 18.

Cognatos et agnatos initio eosdem fuisse supra iam monui, priscis enim temporibus iura sanguinis magni tantum aestimabantur, quatenus familiae participes ex eadem stirpe progeniti erant. Nam filiafamilias confarreatione in aliam familiam locata bonorum ac sacrorum sui generis particeps esse desiit, ita ut nuptiis prisca iura dirimerentur. Posterioribus demum saeculis, cum familiae vinculum obsoletum esset, iura sanguinis iure civili dirimi non posse, veteres dicebant. Qua ex causâ ius agnationis ad publicum referendum est, cum nullo pacto repudiari possit, non magis quam ut quis dicat: nolle suum esse [1]). Hujus Juliani sententiae ratio non ex iure civili sed natura hausta est, quia iura suorum nec non agnatorum sanguine fundata sunt. Agnati enim sunt cognati virilis sexus per mares descendentes *eiusdem familiae* [2]). Si dux et familiae princeps sive paterfamilias defunctus erat, hereditas ad *suos* perveniebat. Quam ob causam liberi *sui heredes* dicti sunt, inter

1) L. 34. D. de pactis (2, 14). — Hanc ob causam agnatio, *civilis cognatio* dicitur; nam iure civili utebantur, qui libertatis, civitatis et familiae statu gavisi sunt.

2) L. 10. D. de grad. (38, 10). Ulp. frag. XI. §. 4.

Ictos non levis est quaestio, quae tamen facillime dirimi potest. Sui enim ad familiae notionem pertinebant, quae prole non existente periit, sui autem ideo vocati, quos paterfamilias, nuptiis factis, procreatos [3]) atque terra sublatos in antiquis disciplinis educavit [4]) iisque suum i. e. aetati aptum [5]) tribuebat, dummodo filii i. e. impuberes [6]) erant. Nam adulti, virili toga induti, *liberi* fiebant ac ut vesticipes quodammodo domini existimabantur, quia tunc per eos, habitationibus praediisqué concessis, quamvis ad familiam pertinentes eamque defendentes stirps pecuniaque conservabatur atque amplificabatur. Quod vero sui dicti a patre matreque familias procreati erant, nepotes pronepotes ac deinde masculino sexu post filium descendentes suorum appellatione lex XII tab. comprehendebat [7]). Sin autem paterfamilias defunctus erat, sui, sive impuberes sive liberi, heredes erant i. e. *universitatem*

3) Cens. de die natali c. V.

4) Cf. supra. Cum enim eximia diligentia solis cursum eiusque in agriculturam vim patresfamilias observarent (praeter alia Floralia tantum attingo, quae propter nudum matrimonium magni momenti sunt), hanc disciplinam filios docuerunt. Fest. s. v. Flaminius camillus. Alii dicunt omnes pueros ab antiquis camillos appellatos, sicut habetur in antiquo carmine cum pater filio de agricultura praeciperet: hiberno pulvere, verno luto, grandia farra Camille metes.

5) Serv. ad V. A. III. 469. sua, congrua meritis, apta aetati.

6) Proprie enim filiorum nomine nepotes non continebantur, at liberorum appellatione nepotes, pronepotes caeterique, qui ex his descendebant. L. 84. 94. 220. D. de V. S. Cum autem liberi essent, qui bulla deiecta, ad honores adsciti sunt, filii fuerunt, qui adhuc sub parentum tutorumve disciplina, eorumque consilio regebantur, quare hi mortui ut impuberes noctu elati ad faces, ne funere immaturae sobolis domus funestaretur. Serv. ad V. A. XI, 143.

7) Paull. R. S. VIII. §. 8. L. 220 pr. D. de V. S.

distribuebant atque aut tutore autore aut sui iuris de suo [8]) sacra fecerunt [9]) et liberam bonorum administrationem consecuti sunt. Post XII tabulas sui *et* heredes, nec non cum herede suum i. e. proprium coniungebantur, quare veteres, qui ipso iure heredes deprehenduntur, sui heredes, pro: sui qui heredes sunt [10]), dicebant. — Sui enim statim, patrefamilias defuncto, patresfamilias erant i. e. capita [11]) totius familiae, duces principesque suarum familiarum. Quam ob causam, quia patrefamilias vivente totius universitatis membra censebantur, ipso iure heredes erant. Herus autem fuit qui sacra fecit; hereditas [12])

8) Verbum *suum* ambiguum est, utrum de toto an de parte significat L. 231. §. 1. de V. S. Rectissime utrum plures liberi heredes existant an unus solus.

9) Fest. s. v. Sine sacris hereditas — quod olim sacra non solum publica curiosissime administrabant, sed etiam privata — relictusque heres sic pecuniae etiam sacrorum erat, ut ea diligentissime administrare esset necessarium.

10) Ast si intestatato moritur, cui suus heres (i. e. suus — heres) nec escit, agnatus proximus familiam habeto. Cf. Ulpian XXVI. §. 1.

11) Serv. ad. V. A. XI. 361, caput: principium; et est antiquum; quia quivis autor et princeps rei gestae fuerat, caput a veteribus dicebatur. Ibid. XII, 600.

12) L. 24. D. de V. S. Nihil est aliud hereditas, quam successio in *universum* ius, quod defunctus habuit. — Universitas, de cuius notione nuperrime cl. Hasse nec non Warnkoenig elegantius tractaverunt, haud dubie, si vocis etymon requiras, cum germanica voce Were cohaeret, quae ad unam verborum familiam pertinent. Nam universitate totum ex variis constans significatur, cui singula corpora opponuntur. Quaeque familia suum fundum possidebat et quidquid intra eius limites — hinc postliminii ius — fuit familiae. An prior syllaba uni pro omni posita sit discutere non audeo. Vox autem *versitas* nos ad Tuscos reducit, nam apud eos ostiis inscribebatur: *arse verse* i. e. Festo interprete, averte *ignem.* Focus enim, ut supra ex-

ergo qualitas heredis, sive ius, quo suis sacra facere licuit; nam tantum patresfamilias sacerdotes suae familiae erant. Si igitur paterfamilias e vita decesserat, quotquot capita ei usque huc subiecta, singulas familias incipiebant habere [13]), nam singuli patrumfamilias nomen assumserunt, dum hereditas in aequales partes inter suos dividebatur [14]). Sin autem iurgium inter fratres sive vicinos exortum fuit [15]), arbitris adhibitis, familiae herciscundae iudicio tollebatur [16]).

---

posui, umbilicus aedis, cardinis, decumanique limitis fuit, ubi in Solis seu Jani honorem ignis cremabat, ubi sacrificia fiebant, ubi in compluvio per deum Fidium patres iurabant. Si autem cl. J. Grimm explorationes sequimur, quae etymon ver, antiqua germanica lingua verjan, gothica vasjan cum Sanscrita voce *vas*, graece, ἐσθής (ἑσθής), cohaerere nos edocuerunt, nostram coniecturam a veritate non abhorrere satis apparet. Liberi ergo, patrefamilias defuncto, in universitatem succedebant, heredes erant, *erctum* ciebant. Ἑστια, Vesta, Hertha ignis terraeque Dea fuit; hinc pubes vesticeps, germanice Werr dicebatur, nam, uxorem sortitus, sacra fecit, comitiorum particeps hortum defendebat.

13) L. 195. D. de V. S.

14) Fest. s. v. *Erctum citumque* fit inter *consortes*, ut in libris legum Romanorum legitur; erctum citum est hereditas divisa. Cf. Nota 12. Serv. ad V. A. VIII. 642.

15) Cf. Dirksen: Uebersicht der XII Tafel-Fragmente p. 472—481. Non. Marc. p. 430. Jurgium et lis hanc habent distantiam: iurgium levior est siquidem inter benevolos aut *propinquos* dissensio vel concertatio iurgium dicitur; inter inimicos dissensio lis appellatur. M. Tull. de re publ. IV. c. 4. Admiror, nec rerum solum sed verborum etiam elegantiam: Si *iurgant*, inquit; benevolorum concertatio non lis ut inimicorum, sed iurgium dicitur. Et in sequenti: iurgare igitur Lex putat inter se *vicinos*, non litigare.

16) L. 15 D. de fam. ercisc. (10, 2). Arbitro quoque accepto, fratres communem hereditatem consensu dividentes, *pietatis officio* funguntur: quam revocari non oportet, licet *arbiter* sen-

Quod hoc modo heredes acceperunt, heredium veteres appellabant. Quodsi Patricius sine suis decessisset, hereditas proximis agnatis deferebatur, ergo ad virilem sexum *eiusdem familiae* cuius membra sub principis potestate una cum defuncto futuri essent, si viveret [17]). Proximo agnato deficiente, gentiles ad hereditatem vocabantur i. e. omnes familiae, quae ad eandem pertinebant gentem idemque nomen [18]). Nam patrisfamilias duci et *generis* principi *nomen* fuit; ut liberis suis locum habitationemque ante aedes, praedium attribuit atque concedit, ita etiam praenomina iis imposuit. Nepotes liberis procreati etiam praenomina acceperunt, patrumque nomina fiebant cognomina, ut supra dictum est. Quisque Patricius tribus igitur nominibus usus est, praenomine suo, cognomine patris et nomine suae gentis sive generis, ex quo *maiores* orti sunt. Heres igitur in omne ius mortui, non tantum singularum rerum dominium, succedit; cum et ea quae in *nominibus* sint ad heredem transeant. Nam quia Patriciorum familia universitas fuit, ad totum genus sive nomen expensilata atque accepta pecunia referebatur [19]).

---

tentiam iurgio peremto non dixerit, si non intercedat aetatis auxilium cf. L. 1. eod. Haec actio proficiscitur a lege XII tabularum. Nam cohaeredibus volentibus a *communione* discedere, necessarium videbatur aliquam actionem constitui qua inter eos rei hereditariae distribuerentur.

17) Ulp. frag. XXVI. §. 1. Gaius I. §. 156. Coll. leg. Moss. et Rom. XVI. 2.

18) Gaius III. §. 17. Coll. leg. Moss. et Rom. XVI. 2. Hanc ob causam agnatos gentilesque semper coniunctos invenimus. Varro de re rustica p. 14. mente est captus atque ad agnatos et gentiles est deducendus. Cic. de Inv. II. 50. Tusc. III. 5.

19) L. 34 D. de A et O. H. (29. 2).

§. 19.

Atque, ut audias, quid ego de gentilibus sentiam, iis, quae fontes praebent, satisfacere tibi possumus, quamvis Gaii Veronensis commentarii casu infelici amplas lacunas hac in materia habent [20]. Gentiles enim sunt, qui eiusdem gentis ex eodem fonte, domo genteque orti, eiusdem igitur *nominis* sunt, qui *eadem sacra* fecerunt. Haud merito ergo Niebuhrius clarissimus, iure Attico nisus, gentiles sanguinis vinculo coniunctos fuisse negat [21]. Ex interna religionis, secundum observationes nostras, ratione, necesse est, gentiles *sanguine* coniunctos esse, quod etiam nostris fontibus confirmatur. Gentilis dicitur, et ex *eodem genere* ortus, et is, qui simili nomine appellatur; ut ait Cincius: Gentiles mihi sunt, qui meo nomine appellantur [21*]. Genus autem minime a gente distinguitur, ut Wachsmuth [22]) doctissimus denuo proposuit, immo genus et gentem idem significasse innumeris exemplis probari neminem fugit [23].

---

20) Gaii Inst. I. §. 164. III. §. 17.

21) Niebuhr: Römische Geschichte I. p. 229. ed. sec. 1827. I. p. 317 sq. Quae Niebuhrii sententia omnino ab antiquitate iam explosa esse videtur: nam illa quamque hominum societatem coniunctionemque naturae principiis repetit, ut quaeque communitas habeatur coniunctissima, ut in eam sanguinis proximitas est. Hinc Cic. de off. I, 17. Quae propagatur etc.

21*) In hac Festi definitione certissime tamen duae notiones inesse videntur, ut iam monuit cl. Chr. Paulsen: De antiqui populorum iuris hereditarii nexu; select. post. p. 16. — Antiquissimis temporibus autem ambae notiones eaedem erant, quae Festus adiicit, ut ait Cincius: Gentiles mihi sunt, qui meo nomine appellantur.

22) Wachsmuth: Geschichte des Römischen Staats I. p. 112. Nota 92.

23) Livius e. g. dicit. I. c. 1. *genus* omne Potitiorum interiet.

Sicut paterfamilias dux et princeps *generis* fuit, non minus gentiles, qui ex eodem *genere* orti. Qui autem ex hoc genere per cognatos s. st. sive agnatos proficiscuntur, *principe huius generis defuncto*, gentiles sunt; hi enim posteri ex hoc genere descendentes, *nomine* principis sui generis utebantur, quamvis ex variis familiis orti essent [24]). Gens Aelia e. g. appellatur, quae ex *multis familiis* conficitur [25]). Eodem modo e Cornelia gente natae sunt familiae Maluginensium, Scipionum, Lentulorum, Rufinorum-Sullarum et Cinnarum, Cethegorum, Dolabellarum [26]). Sacra

---

Suet. Caes. c. 6. ob maternum et paternum genus a Venere Iuli, cuius *gentis* familia est nostra. Est ergo in *genere* et sanctitas regum Liv. VI. c. 37. ex illo in *plebem* ventura *omnia* quibus *patricii* excellant, imperium atque honorem, gloriam belli, *genus*, nobilitatem, magna ipsis fruenda, maiora *liberis* relinquenda. Cf. Fest. s. v. Plebeiae Pudicitiae — cum Verginia patricii generis. — Liv. II, 46. X, 3. 5. — Cic. de leg. I, 8. 63. II, 1. 159 ibiq. Creuzer; nunc etiam Niebuhrius l. c. p. 327 Not. 752. — Cf. etiam Vet. gram. ed. Gothofr. p. 503. Natio solum patriam quaerit: *gens seriem* maiorum, hinc p. 525. genus familiam: gentem regionem, recte dicimus; deinde p. 539. genus ad vivos pertinet: familia etiam ad defunctos; genus ad nobilitem, familia ad copiam refertur. — Non. Marc. p. 84. Congenerat est adiungit, associat. Accius Finidis: Quae veat grafo tibi congenerat gentium aut generum affinitas.

24) Ob hanc rem saepissime nomen pro genere autores usurpant. Diomed. l. 1. Gram. p. 306. Nomen proprie dictum est gentilitium i. e. quod originem gentis vel familiae declarat ut Porcius, Cornelius. Cognomen ad familias igitur referendum est, quod confirmat Valer. Maximus IX. 15. Eximiae nobilitatis adolescens Cornelius Scipio, cum plurimis et clarissimis suae familiae cognominibus abundaret etc.

25) Sic gens Virginia et Claudia in plures familias abiit, hinc illi cognomina Tricostorum, Rufforum etc. Claudii Regillenses, Nerones, Pulchri ex gente Claudia orti sunt.

26) Cf. Chladenius de gentilitate c. XIV. §. 7. — Aliud exemplum

generis Cornelii, principe gentis exstincto, inter suos heredes, familia cita, simul dividebantur. Sui heredes in hoc casu e. g. fuere Scipio, Sulla, ad quos fortasse temporum successu Lentulus, Cinna, Cossus, Dolabella advenerunt, qui nunc patres familiarum novas familias incipiebant. Eorum liberi iterum sacra familiamque distribuebant; hinc harum familiarum *posteri* inter se gentiles erant. Si e. g. Sulla moritur, eius liberi ipso iure sui heredes sunt; si autem liberorum nullus super erat, nepos ue, hereditas secundo loco proximis agnatis cum eius sacris deferebatur, ergo Sullae hereditas transit ad eius fratres eorumque liberos sive ad eius patruos. Sin autem nullus agnatus exstabat, tum gentiles ad hereditatem vocabantur, igitur eo, quem finximus, casu familiis Scipionum, Lentulorum ceterisque hereditas deferebatur. Nam omnes hae familiae eiusdem generis eiusdemque nominis fuere, cum omnes ad gentem Corneliam pertinerent. Ex his apparet: Patricios tantum gentes habuisse, eis tantum gentiles fuisse, quod veteres expressis verbis confirmant. Semper, ait Decius plebeius contra Appium Claudium ceterosque Patricios — ista audita sunt eadem, penes vos auspicia esse, vos solos gentem habere [27].

Chladenius suppeditat in illustranda gente Cornelia. Familia Maluginensium gentis Corneliae abiit in familias L. Corn. Maluginensis Cossi et M. Corn. Malug. Ex illo descendebant tres filii, ex hoc unus. p. 193.

27) Liv. X, c. 8. Gell. N. Att. X, c. 20. Plebs dicitur in qua gentes civium patriciae non insunt ibiq. IX, 2. Simili autem exemplo e contraria specie antiquos Romanorum audio *praenomina* Patriciorum quorundam male de re publica meritorum et ob eam causam capite damnatorum censuisse ne cui *eiusdem gentis patricio* inderentur, ut vocabula quoque eorum

§. 20.

Attamen ad finem propositum impetrandum maximi momenti locus Ciceronis esse videtur. Cum enim ex sententia nostra antiquissimum ius cum iure sacro coniunctissime cohaereat, gravissima definitio gentilium esse videtur, quam Scaevola Pontifex, omnis iuris peritissimus, proposuit [28]. Ciceronis verba haec sunt. Gentiles sunt, qui inter se eodem nomine sunt. Non est satis. Qui ab ingenuis oriundi sunt. Ne id quidem satis est. Quorum maiorum nemo servitutem servivit. Abest etiam nunc: qui capite non sunt diminuti. Hoc fortasse satis est, *nihil* enim video Scaevolam pontificem ad hanc definitionem addidisse [29]. — Quod in hac definitione firmum sive positivum dixeris ad Patricios attinet; ultimae duae notiones negant in Plebeiis fuisse gentiles [30]. Patriciis solis gentilitia nomina imposita erant [31]: simul autem ex eorum

---

defamata atque demortua cum ipsis viderentur. — Suetonius refert: gentem Domitiam non alia, praeterquam Cnaei et Lucii praenomina usurpasse.

28) Cic. de leg. II, 19.

29) Cic. Topica c. 6. — Nonnulli iurisconsulti — hanc definitionem gentilitatem non omnino significare putant, quamvis Cicero expressis verbis Scaevolam omnis iuris peritissimum ait nil addidisse. Quid ergo, quaero, desiderari potest!

30) Posterioribus temporibus haec definitio ad libertinos tantum referenda est, postquam ingenui ex matre libera nati erant, sive de quibus sententia lata fuit. L. 5. §. 2 et L. 25. D. de statu hominum (1. 5). Ad hoc referendum quod Niebuhrius l. c. I. p. 326. aliique dicunt. — Errat Chladenius, qui frequentiorem in plebe, quam inter patricios fuisse gentilium successionem contendit l. c. cap. VI. p. 78; nam plebeii neque agnatione neque gentilitate initio gavisi sunt.

31) Serv. ad Virg. Aen. IX, 343. Quare bene Virgilius dixit de

nominibus elucet: gentiles in se originem generis principis continent [32]). Quod non solum ex etymologia deduci potest, quodque ab omni antiquitatis gente testatur [33]), sed etiam expressis verbis ab Varrone confirmatur. Varronis verba haec sunt [34]). Ut in hominibus quaedam sunt cognationes et gentilitates, sic in verbis: ut enim ab Aimilio homines orti Aimilii, ac gentiles; sic ab Aimilii *nomine* declinatae voces in gentilitate nominali; ab eo enim, quod est

---

Euryalo: *sine nomine plebem.* Nam Nisus reges ioterfecit: Euryalus saevit in plebem — Fest. s. v. *Nomen* sive ex Graeco *"ονομα* dictum est quasi novimen ad *notitiam* facit, sive *familiae* est, ut Terentius. Non. Marc. ed. Lips. 1826. p. 354. Nomen, decus, digoitas.

32) E. g. Gentilitia nomina: Cornelius, Julius, Papius, Claudius, Horatius vocem Graecam *ὑιον* continere videntur. Eodem modo ut in Etrusca lingua: Arnth (Aruns) Larisal i. e. Lartis filius. Al sive El ad hebraicam lioguam nos reducit; cf. de hac inscript. etrusca Göttingische Anzeigen 1826 No. 151. Vide etiam Serv. ad Virg. Aen. II, 341. Nam si geotis esset (sc. nomen) *Mygdonius* diceret. Nullum enim geutis nomeo io des exit cf. ad Virg. Aen. I. 5. — Fortasse in nonuullis Patriciorum nominibus graeca cum tusca voce, quae originem indicat, coniungebatur, cum nomen „Cornelius“ *ὑιον* nec non tuscam syllabam „el“ contineat.

33) Sic inter Sioenses existunt centum familiae nomina, quare haec natio Pi-sing i. e. quae centum nomina habet, dicitur. Görres Mythengeschichte der asiatischen Welt I. p. 16; quibuscum sunt conferenda: Windischmann, die Philosophie im Fortgange der Weltgeschichte 1827 I. 1. p. 8: Hundert Familien von einer Verwandtschaft bildeten diesen Urstamm des sinesischen Volkes; ihre Namen sind jetzt noch die Grundbenennungen der Geschlechter. — Ex eodem domo principes duodecim populi Israelit: exierunt. — Nomen gentilitium, quod Romani sensu proprio nomen vocabant, gentis origioem principemque declarabat, hinc interdum nominis voce geus tota exprimebatur. Liv. IX. c. 24.

34) Varro l. c. VIII. p. 393. Cf. etiam Chladenius c. 1. §. 8.

impositum recto casu Aimilius, orta Aimilii, Aimilium, Aimilios, Aimiliorum; et sic reliquae, eiusdem quae sunt *stirpis* [35]). Duo igitur omnino verborum principia, impositiorum et declinatorum: alterum ut *fons*, alterum ut rivus [36]). Ut igitur gentiles ex eadem domo eodemque genere descendunt, eadem etiam sacra sc. sacra gentilitia faciunt. Nam sacra cum hereditate ab generis principe ad suos heredes eorumque familias et deinceps veniunt, quod firmatur ex secundo Ciceronis de legibus libro: „de sacris autem — haec sit una sententia, ut conserventur semper et deinceps *familiis* prodantur, et ut in lege posui, perpetua sint sacra. Hoc posito, haec iura Pontificum auctoritate consecuta sunt, ut ne morte patrisfamilias sacrorum memoria occideret, et iis esset ea adiuncta, ad quos eiusdem morte pecunia venerit" [37]). —

35) Fest. s. h. v. — Quod Niebuhrius cl. nunc dicit hanc meam sententiam non turbavit. Eius verba haec sunt I. p. 325. „Aber so gleichnißweise wie er (Varro) hier redet, würde wahrlich er selbst es sich verbeten haben, ihm eine solche Erwähnung buchstäblich als eine historische Behauptung auszulegen." — Instituta veterum ex natura hausta sunt, naturalia et simplicia; novissimum quoque tempus ea conservat iisque suas notiones tantum imponit, nova inauditaque exempla nunquam inducit, sed haec ex vita atque historia, nunquam ex ingenio sumit, hinc semper eadem exempla praebet. —

36) Varro de l. l. IX. p. 499. Dei et servi nomina quod non item ut libera nostra transeunt, eadem et causa: quod ad usum attinet, instituti opus fuit de liberis, de reliquis nihil attinuit, quod in servis gentilitia natura non subest in usu, in nostris nominibus qui summus in Latio et liberi, necessaria. Itaque ibi apparet analogia ac dicitur Terentius vir Terentia femina (Terentium genus). Tertium genus in praenominibus ideo non fit item, quod haec instituta ad usum *singularia*, quibus discernerentur nomina gentilitia.

37) Cic. de leg. II, 19. — Quaeruntur enim, qui adstringantur sacris. *Heredum* causa iustissima est: nulla est enim persona, quae ad

Haec definitio non satis est, dicit Cicero. Deinde, qui ab ingenuis oriundi sunt. Qui autem initio ingenui essent, iam supra dictum est. Nam ingenui Patricii erant, ex qua causa Patricios Cincius ait, eos appellari solitos, qui nunc ingenui vocentur; nam ingenui erant, qui patrem ciere potuerunt [38]. Patrem autem demonstrabant tantum (iustae) nuptiae; nuptiae autem solemnia [39], quibus initio utebantur, qui confarreatione coniuncti erant. Cum autem Plebeiis initio nullum connubium esset, patribus eminentiore sensu non gavisi sunt, hinc ergo: Patricios tantum ingenuos et patres vocatos esse. Quod nunc in Ciceronis definitione sequitur, attinet ad Plebeios. Nuperrime cel. Puchta [40]) contra Niebuhrii sententiam praeter varia, quibus lubenter assentio, affirmavit: Ciceronem hanc definitionem non ex historica ratione posuisse sed usus forensis causa explicuisse; at haec sententia sine argumentis nimis artificiosa esse videtur. Quid quod huic non respondet, quod Cicero Scaevolam pontificem in explicanda gentilitatis notione nil adjecisse affirmat. Quodsi vero certum est, Pontifices sacra atque antiquissima instituta moresque conservare studuisse, non contrarium huic definitioni historicam notionem inesse, quam partim satis explicuisse mihi videor. — Quod ad ultimam huius definitionis partem attinet, hoc loco haec observari possunt. Plebeiorum enim maiores, ut hoc nunc utar, quamquam maiores initio ad Patricios tantum pertinebant [41]) — fuerunt *man-*

vicem eius, qui e vita emigrarit, propius accedat. Cf. c. 20, et Savigny: Zeitschrift II. p. 365.

38) Liv. X, 8.

39) Fest. s. h. v. et Ballhorn l. c. p. 208 et 211.

40) Cf. Jahrbücher der gesammten deutschen juristischen Literatur V, 1. 25—35.

41) Cf. Laur. Lyd. de mensibus ed. Roether p. 237. et infra §. 23.

cipia, qui ex urbibus Latinorum maximam partem devastatis, *manu capti*, Romam deducti erant, hinc servitutem serviverunt, et tantum *emancipatione* liberti deinde, Servio Tullio regnante, *censu* liberi facti sunt. Emancipatio est ergo Plebeiorum institutum, quia parenti eorum facultas fuit filios vendendi. At Patriciorum familia morte tantum seu sacrorum causa dissolvi potuit, ideoque nec Vestalis nec flamen Dialis, ambo Patricii, unquam capite diminuti, quia sacrorum causa, ut filia in matrimonium confarreatione collocata, e patria potestate egressi sunt[41a]). Nullo alio modo Patriciorum liberi e patria potestate emitti potuerunt, quare abdicatio Romanis legibus non comprobata est et ideo post duodecim tabulas inviti filii emancipari non potuerunt. Cum autem Plebeii, manu capti, publici servi essent [42]), iis quasi e manu publica emissis, proque capite tantum usque ad Tullium regem censis, agri assignati sunt. Quam ob rem partim mancipium emancipatione, quia servitus antecedit, omnino capite diminuebatur, partim plebeii gentiles nunquam habere potuerunt, quod eorum maiores servitutem serviverant [42a]).

§. 21.

Porro antequam necessariam cognationis gentilium rationem ostendam, alia cl. Niebuhrii mota quaestio

41a) Ultima autem definitionis pars etiam ad eos pertinebat, quibus libertatis et civitatis amissione, publicis privatisque sacris solutis, capitis diminutio contigit.

42) Ut enim ager publicus ex hoste captus fuit, non minus eius incolae, manu capti et Romam transducti, servi publici erant.

42a) Nam si patricius fuit qui e duobus ingenuis natus est, cur posterioribus saeculis plebeii, iam dudum ab ingenuis oriundi, gentilitate non gavisi sunt? — Quod eorum maiores manu capti, mancipia publica servitutem serviverant.

decidenda est. Numa Pompilius, ut fama fuit, filium habebat, qui Mamercns dicebatur, cognomine autem Aemilius, nisi gens Aemilia hoc modo cum Numae imagine, ut gens Julia cum Aeneae filio suum genus coniunxit. Attamen hic Aemilius dux et princeps huius generis putabatur. Gens autem Aemilia ex multis familiis [43], scilicet Lepidorum, Paulorum, Papiorum constabat, quarum familiarum descendentes virilis sexus gentiles erant, principe gentis defuncto; quod omnes ex eodem genere, ex gente Aemilia orti et ideo eodem nomine nominati sunt. Maiores eorum fuere ingenui, nam Plutarchus dicit: Aemilios honoratissimam patriciarum familiarum fuisse; nemo ex iis servitutem servivit, quia ingenui erant; nullus eorum capite diminuebatur, quia familiare Patriciorum nexum tantum morte, sive sacris solvi potuit, nam temporalem filium habere contra morem fuit. Gentem Pinariam eodem modo ex duodecim familiis constitisse Livius docet [43a]. Hanc ob causam quod etiam Livius, maiorum mores institutaque semper observans, de gente Fabia commemorat, sententiae nostrae haud repugnare videtur [44]. „Fabios ad coelum laudibus ferunt. *Familiam* (i. e. gentem) unam subiisse civitatis onus. Sex et trecenti milites, *omnes patricii*, omnes unius gentis, quorum neminem ducem sperneret egregius quibuslibet temporibus senatus, ibant, unius familiae viribus Veienti populo pestem minantes.“ Quomodo ex una gente sex et trecenti milites

---

43) Varro l. l. p. 85.

43a) Liv. IX, 29. Traditur inde dictu mirabile, et quod dimovendis statu solo sacris religionem facere possit, quum *duodecim familiae* ea tempestate Potitiorum essent; puberes ad triginta omnes intra annum cum *stirpe* exstinctos, nec *nomen* tantum Potitiorum interiisse etc. Cf. Fest. s. v. Potitium.

44) Liv. II, c. 49.

expeditionem susceperint, non bene intelligi posse, doctissimi nostri dicunt; quare Niebuhrii sententiam affirmant, non consanguinitatem, sed sacrorum communium vinculum praecipuam rem in gentilitate fuisse [45]). Quod nisi maximam saltem partem adumbratione nostra repulsum est, tamen antiquissima populorum religione omnino refellitur. Nam si prima antiquitatis populorum vestigia perscrutaberis, ubique tibi elucebit, familiae maiestatem splendoremque ex multis liberis constitisse [46]). Qua ex causa pater uxorem duxit liberorum quaerendorum causa, nam, ut Callistratus ait, ideo filios filiasve concipimus atque edimus, ut ex prole eorum earumve diuturnitatis nobis memoriam in aevum relinquamus [47]). Certissi-

---

45) Cf. Heindorf ad Horat. Sat. I, 12. qui Niebuhrii sententiam defendit; ei autem oppositus Horatins l. c. „contra Laevinum Valeri genus" cf. ibid. II, 5. 63.

46) Cf. Veteris testamenti scripta. — Plin. H. N. XXXV. c. 2. *Imaginum* amore flagrasse quondam testes sunt et Atticus — et M. Varro benignissimo invento insertis voluminum suorum foecunditati non *nominibus* tantum septingentorum illustrium etc. ibid, XXXV. c. 3. Appius Claudius posuit in eam Bellonae aedem *maiores suos* placuitque in excelso spectari et titulos honorum legi. Decora res utique si *liberorum turbae* parvulis imaginibus, ceu nidum aliquem sobolis pariter ostendant.

47) L. 220 D. de V. S. Praeter haec omnia natura nos quoque docet, parentes pios, qui liberorum procreandorum animo et voto uxores ducunt (haec formula est opposita vulgo quaesitis) filiorum appellatione omnes, qui ex nobis descendunt continere: nec enim dulciore nomine possumus nepotes nostros, quam filii appellare: etenim idcirco filios filiasve concipimus atque edimus, *ut ex prole eorum earumve diuturnitatis nobis memoriam in aevum* relinquamus. Catull. carm. 64.

non decet
Tam *vetus sine liberis*
Nomen esse, sed indidem
Semper ingenerari

mum autem est ad gentem Pinariam duodecim familias pertinuisse, atque praenomina singulis filiis indita esse ex eorum numero [48]). Cur, quaeso, Fabiorum numerus tam incredibilis tibi esse videtur, cum gens Fabia antiquissima et virium maxime eximia tum in civitate Romana fuit, quomodo, quaeso, Patricii, qui ex Niebuhrii sententia ex trecentis gentibus constabant, magnae Plebeiorum multitudini tam diu, infestis animis resistere, potuerint, nisi etiam viribus potentes fuissent? Si denique gentiles communibus sacris tantum coniunctos esse affirmant, necesse est, eos etiam consanguinitate — adoptatis s. l. exceptis — colligatos esse, si internam sacrorum naturam spectamus, quae, quamvis ad religionem haec pertinent, hoc denique loco paucis tamen verbis ponderanda esse videntur.

§. 22.

Ad genuinam ergo sacri indolem, supra paucis a nobis expositam, necesse est, hoc addere. Procreandi enim et gignendi principium cum pro divino ab antiquissimis populis haberetur, sacrum erat, quod huic

---

Plin. H. Nat. II, 63. nomenque prorogans nostram et memoriam extendens contra brevitatem aevi.

48) Varro l. l. p. 113. In praenominibus ideo ait item, quod haec instituta ad usum singularia, quibus discernerentur nomina gentilitia: ut a numero Prima, Secunda, Tertia, Quarta. In viris ut Quinctius, Sextus, *Decimus*. At de nomine gentilitio cf. Dionys. Hal. III. p. 185.

49) Fest. s. v. Fabiani et Plut. in vita Fabii Maximi.

50) Liv. II, 49. Familiam unam etc. Si duae roboris eiusdem in urbe gentes: deposcant, haec Volscos sibi, illa Aequos.

51) Serv. ad Virg. Aen. IX, 284. Priami de *gente vestuta;* de familia. Et bene eum etiam *ex cognatione* commendat. Nam Ascanius nepos est Priami per Creusam. Cf. etiam Dion. Hal.

principio sacratum dedicatumque fuit. Qua ex causa apud *omnes antiquitatis populos* phallus variis formis, varioque cultu colebatur. *Divinam rem facere* in populorum infantia nil fuit, quam concumbere [52]), generare *liberorum* quaerendorum causa [52a]), ut genus in aeternum floreret [53]). Ut enim christiana religio Deum spiritum veritatis appellat, ideoque divinum est, quod ex aeterna ratione variis modis nascitur, antiquitas tantum naturam, omnium rerum genetricem, divinam coluit, quare in hominibus generandi vis, deum seu genium ciebat. Patriciorum quoque res publica in hoc principio fuit fundata, eiusque sacrorum ultima stirps nil aliud fuit, quam ut per *genera* in aeternum duraret. Nam eorum res publica,

---

I. p. 92. et praecipue II, p. 125. Cf. Joh. Laur. de mens. l. c. p. 25. *Ἀδριανὸς ἐκ τῆς Αἰλίων ἐτύγχανε φαμηλίας, οἱονει γενεᾶς* etc.

52) *Res* saepissime pro concubitu ponitur, ut facere pro concubare. Gloss. erot. s. h. v. Divinam rem facere est, nuptiis factis, concumbere, ut liberi procrearentur; nam liberi demonstrant patrem et ad propagandam familiam maturi sunt. Pater est epitheton Deorum et omnium Deorum pater est Jupiter, penas urbis Romanae. Cum verbo „facere" cohaeret facultas, hinc facultas generandi cf. L. 9. pr. D. de lib. et posthum. (28. 2).

52a) Ob hanc rem homo *sacer* is est, quem populus iudicavit ob *maleficium*; qui ergo contra *bonos mores* fecit, *maleficium* commisit, qui autem secundum *bonos mores* fecit, *bonus vir* (§. 25. Nota 73.) dicebatur. Fest. s. v. sacer mons.

53) Hinc contra bonos mores fuit de successione sua vel aliena pacisci, nam qui de hereditate pactum contraxit sacris suis i. e. generi nominique renuntiavit, ita ut nec sobolem procreare, nec per adoptatum suum genus nomenque in aeternum conservare vellet. Qua ex causa Julianus L. 61. D. de V. O. ait: Stipulatio hoc modo concepta: si *heredem* me non feceris, tantum dare spondes? inutilis est, quia contra *bonos mores* est haec stipulatio.

societas ingenuorum eorumque liberorum sacris floruit per triginta partes distributa: quaeque curia ubi ad mensam Junonis pro curialium vita sacrificium dabatur, in decem partes abiit, decurias appellatas, sive ad personas spectas, gentes, in quorum sacellis rursum pro gentilibus parentabatur. Quaeque gens ex variis familiis constabat, cuiusque familiae caput fuit pater et materfamilias. Ex quo intelligitur, quod materfamilias confarreatione ex suae familiae sacris excessit, mariti sacrorum particeps fiebat. Quodsi ergo, simulac familia exstincta est, sacra interierunt, tamen e contrario sacra facientes i. e. Nasone interprete [53a]), concumbentes, genus per suos, agnatos gentilesque in aeternum conservabant. Patriciorum ergo res publica *res divina* fuit, cui Plebeiorum humanae res obstabant; populus enim seu Patriciorum genera et plebs initio inter se discrepabant ut bonum et malum, quia Patricii nuptia sacrata fecerunt, plebs autem in non honestis coniunctionibus vixit [54]). Quam ob rem sanguinis turbatio inter populum et plebem nefarium facinus putabatur, cum Patriciis ut ingenuis, qui rerum divinarum participes erant, cum victis connubium non esset. Nam plebeii, quibus

---

53a) Ovid. Am. III. 4. 3 sq. Qua ex causa in sepulcris coniugum *fecit* pro *vixit* ponitur e. g. Veianius Sueleniauus Liciniae Demetrianse coniugi karissimae cum qua fecit anuos IX. M. VI. dies XXV. Cf. etiam cel. Orellii Inscriptionum latinarum selectarum amplissima collectio ad illustrandam Romanae antiquitatis disciplinam accommodata. Turici 1828. p. 465. 473.

54) Hanc duplicem rationem, quam etiam nuperrime cl. Fr. Th. Welker (Theognidis Reliquiae) in Helladis civitatibus elegantissime detexit, quaeque in tota antiquitate bonorum ac malorum stirps est, leviter attigi (Heidelberger Jahrbücher, Januar 1828), quam tamen in Plebeiorum s. mancipiorum institutis describendis fusius explicare audebo.

Patriciorum res publica *salutem* tantum concesserat [55], ad *nullum genus* referebantur, hinc, ut publica mancipia, omnibus honoribus privati, re publica ergo a publicis et privatis sacris [56]) exclusi erant [56a]). Cum autem apud omnes populos paulatim non minus quam apud Patricios ad altiores sensus profectos gignendi principium pro persona haberetur et generandi vis, ut genius [57]) sive penas coleretur, patrisfamilias fuit officium Deos flammis adolere, Jano, Jovi Junonique — in quibus omnibus phallus colebatur — tura vinumque dare. Hinc ergo *celebritas*, qua Diis victima dabatur, sacra nominabantur, ita ut quaeque gens suis caerimoniis in Deorum cultu, uteretur, quod confirmat Macrobius [57a]). Nullo tamen modo genuina sacri significatio exstincta est, ut ex arrogatione et adoptione nec non ex testamento in comitiis calatis [58])

---

55) Serv. ad V. A. IV. 327. Captivi, qui cum tenerentur ab hostibus, dicebant: *sublatis omnibus, salutem concede.*

56) Hinc Aventinus mons, pomerio exclusus Palatinoque infestus, Plebis asylum fuit, ubi templum Libertatis, postquam plebs libertatem Servii censu acceperat, conditum erat. Cf. Fest. s. v. Libertatis et Servorum. Liv. III. 54. —

56a) Alio modo hanc rem discussit Dr. C. Preller Römisches Reich und Recht. Hamburg 1825. p. 49 sq.

57) Fest. s. v. Genium appellabant deum, qui vim obtineret rerum omnium gignendarum — et propterea genius meus nominatur, qui me genuit. August. C. D. VII. 13. — Cens. de die nat. c. 3.

57a) Macr. Sat. I. 18.

58) Testamentifactio ergo in comitiis curiatis nisi ab eo patrefamilias patricii generis fieri non potuit, qui sine sobole fuit, cuique nulla liberos procreandi spes floruit. Qui enim liberos susceperat, initio testatus decedere non potuit (hinc nemo pro parte testatus pro parte intestatus decedere potest), quia testamentifactio semper cum adoptione coniuncta fuit, ut paterfamilias, liberis defunctis, per adoptatum filium genus sive familiam conservaret, qua ex causa Pontificum officium fuit, ut *nomen* et *sacra gen-*

facto, satis apparet. Nam ne gentis unquam deficeret prosapia, quae sacra conservat, leges ipsis gentilibus adoptandi in gentem *extraneos* facultatem indulgebant, ita tamen, ut Pontifices curarent, ut *nomen* et *sacra gentis* in adoptatum transirent [59]. Veterrimis autem temporibus adoptavit, qui, liberis non susceptis, memoriam nominis i. e. generis relinquere voluit. Nam quod est, ait Tullius, ius adoptionis, nempe ut is adoptet, qui neque procreare iam liberos possit et cum potuerit sit expertus [60]. Arrogationem Patriciorum iuris institutum fuisse docent comitia curiata, in quibus, ut *moris* est, sui iuris autores, populo praesente, adrogati sunt [60a].

§. 23.

Doctissimos nostrae aetatis Ictos tamen anquirere video, abs quo agnatorum gradu cognati per virilem sexum gentiles nominentur, cum vulgata tantum sen-

---

tis in adoptatum transirent. Cf. cl. Gans Römisches Erbrecht II. p. 52—72. Ex eadem ratione Dii heredes institui non potuerunt. — Sin autem, quia calata comitia bis tantum in anno testamentis faciendis destinata erant, repente bellum exarsit, tum cuilibet orbato testamentum in procinctu facere licuit. Quare Gaius II. §. 101. procinctus est enim expeditus et armatus exercitus: alterum itaque in pace et otio faciebant, alterum in proelium exituri. §. 102. Accessit deinde tertium genus testamenti quod per aes et libram agitur — Latinis sive Plebeiis in Romana civitate acceptis — quod autem post XII tabulas generaliter hoc pacto constituebatur ut Gaius l. c. refert.

59) Hinc clarum est gentiles proprie sanguine coniunctos fuisse: ideoque in curiis Patriciorum sive curiatis *generibus* suffragia delata sunt. Cf. v. Savigny: Zeitschrift l. c. II. 3.

60) Cic. pro domo c. 13. 13. —

60a) Val. Max. III. 5. 5. Tacit. Ann. II. 39. Hist. I. 15. L. 15. §. 2. D. (1. 7)

tentia defendi posse videatur, ita ut gentiles agnati sint, qui gradum originis haud sciant, nec dinumerare possent. At saepenumero gentiles esse *maiores*, qui ex eodem genere eiusdem nominis per agnatos cohaerent, principe huius generis defuncto, contendimus. Apud Patricios enim *parentes* usque ad tritavum proprio vocabulo nominabantur [61]); ulteriores, qui non habebant speciale nomen [62]), *maiores*; item *liberi* usque ad trinepotem, ultra hoc *posteriores*, sive *minores* [63]) vocabantur. Filius autem familias [64]) post decimum quartum annum pubes [65]), praetexta deposita, *virili* vel *libera* toga indutus uxorem duxit liberorum quaerendorum causa ita ut *sex generationis gradus octoginta quatuor annos* complecterentur [66]). Nepos enim pubes post XIV annum, iterum nuptias fecit et ita

61) L. 10. §. 7. D. de grad. (38. 10). L. 4. §. 2. D. de in ius voc. (2. 4). Quidam, *parentem* usque ad tritavum appellari aiunt: superiores *maiores*. Hoc *veteres* existimasse Pomponius refert: sed Cassius omnes in infinitum parentes dicit: quod et honestius est et merito obtinuit, (quia naturalia iura haud diutius observabantur, sed iura voluntate constituebantur).

62) Paull. S. R. IV. 2. §. 7.

63) Serv. ad V. A. VIII, 268. et *minores* dicamus, nisi quotiens graduum deficit nomen, ut puta, filius, nepos, pronepos, abnepos, abneptis, trinepos; ubi isti gradus defecerint, merito iam dicimus *minores*: sicut etiam *maiores* dicimus post patris, avi, proavi, abavi, atavique vocabulum.

64) Filiusfamilias sensu str. impubes est, ut supra monui. Serv. ad V. A. XI. 143.

65) Macrob. Sat. VII, c. 7. Secundum *iura publica* duodecimus annus in femina et quartus decimus in puero definiunt pubertatis aetatem; cf. infra §. 26. Not. 109. — Qui pubes fuit antiquo more uxorem duxit et comitiorum particeps; qui autem sine prole i. e. nondum vir, improlus vel improlis dicebatur et nondum in civitate adscriptus erat cf. Festus s. v. improlus.

66) Cf. Nota 67.

usque ad trinepotem [67]). Annus vero civilis ex trecentis quatuor diebus civilibus constabat [68]). Veteres enim autores, quibus credendum, antiquissimum annum ex diebus trecentis quatuor constitisse affirmant, cuius anni ordinatio Romulo adscribitur. Niebuhrius [69]) eum cyclicum appellat, tuscus autem fuit, nam ex XXXVIII hebdomadibus constabat, quaque octo dies continente. Pueri, finito quarto decimo anno, puberes fiebant; quatuordecim anni per sex generationis gradus *octoginta quatuor* annos continent. Secundum etruscos libros fatales hominis aetas duodecim hebdomadibus describebatur, ut Varro commemorat; hinc quaeque hebdomas septem annos continens, hominis aetas *octoginta quatuor* annos complectitur [70]). Cum autem, Isidoro referen-

67) Gradus in linea recta erant, scilicet supra: pater, avus, proavus, abavus, atavus, tritavus; infra: filius, nepos, pronepos, abnepos, adnepos, trinepos. Sin autem filius nascitur pater quindecim annis natu est, hinc Varro quinque gradus aetatis aequabiliter putat esse divisos; unumquemque scilicet, praeter extremum, in annos XV. Itaque primo gradu usque ad XV *pueros* dictos, quod sint puri i. e. impubes; secundo ad XXX annum, adolescentes, adolescendo sie nominatos. In tertio gradu qui erant usque ad XLV annos, iuvenes appellatos, eo quod rempublicam in re militari possunt iuvare. In quarto autem usque LX annum, *seniores* esse vocitatos, quod tunc primum senescere corpus incipiat. Inde usque finem vitae uniuscuiusque quintum gradum factum, in quo qui essent, senes appellatos, quod ea aetate corpus senio iam laboraret. Cens. de die nat. c. 14.

68) Cens. l. c. c. 20.

69) Niebuhr l. c. I. p. 283 sq.

70) Cens. l. c. c. 14. Etruscis quoque libris Fatalibus aetatem hominis duodecim hebdomadibus describi Varro commemorat; quae duo ad decies septenos annos posset fatalia deprecando *rebus divinis* (cf. §. 22.) proferri: ab anno autem octuagesimo nec postulari debere, nec posse ab Diis impetrari. Ceterum, post

te[71]), iuventas, firmissima aetatum omnium, in *quinquagesimo* anno finiret, *senioris* aetas L anno incipiens, LXX terminetur, satis apparet, Isidorum Solis annum dixisse, quod autem alteri computationi valde respondet; nam L. anni Solis LX cyclicos seu tuscos annos continent, sicut LXX annus, quo senioris aetas terminatur, *octogesimus quartus* cyclicus annus fuit[72]). — Agnati autem sunt, ut supra monui, qui per *virilis* sexus personas i. e. per viros [73]) eiusdem familiae coniuncti erant, ita ut, qui eodem patre nati, hinc fratres, item patruus, nec non fratres patrueles sive consobrini et consobrinorum nati agnati sint. Qua ratione scilicet etiam ad plures gradus agnationis pervenire possumus [74]).

Omnes virilis sexus nati, qui a tritavo eiusque virili stirpe ad trinepotem procreati, agnati erant, nam si tritavus vixisset omnes eiusdem familiae usque ad patrem (qui trinepos tritavi fuit) sub eius potestate, ad eadem sacra pertinuissent. Tritavus autem post sex generationis gradus *senex* iam dudum dicebatur,

---

annos octoginta quatuor a mente sua homines abire, neque his fieri prodigia.

71) Isid. Etymol. l. XI. c. 2.

72) Computatio haec est: $304 \times 14 \times 6$ (usque ad trinepotem) $=$ $25536 = 84$ anni; deinde $365 \times 14 \times 6 = 30660 = 84$. — $365 \times 5 = 1825 = 6 \times 304 = 1824$ cf. Niebuhr l. c. p. 286; hinc 10 solis $=$ 12 a. cycl.; $50 = 60$; $70 = 84$.

73) Boni mores sunt, ut supra exposui, *bonorum virorum* mores; cf. §. 14. *Bonus* autem vir antiquissimis temporibus, qui non *solus* et *improlis* (cf. Nota 65), sed civitatis more uxorem duxerat, qui ergo *duonus* fuit; cf. Fest. s. v. duonum. Qua ex causa in carmine saliari, ut illud restituit Scaliger, Janus duonus ceruses i. e. bonus creator dicebatur, nam Janus fuit propagator generis humani. Mac. Sat. I. c. 9.

74) Collat. Moss. et Rom. legg. XVI. §. 2.

quod sexaginta annos complectens [75]) senescere corpus incipit [76]). Senes enim generare desinunt [77]), hinc trinepotis filii et deinceps non *liberi* sed *posteriores*, qui principe generis defuncto i. e. vel officiis debitis liberato vel mortuo [78]) nati sunt, nominantur. Posteriores hi tritavi superiores seu progenitores non *parentes*, sed *maiores* ciebant. *Series* autem *maiorum gens* dicitur, ut ait vetus Grammaticus [79]). Gen-

75) Fest. s. v. Sexagenarii.

76) Serv. ad V. A. VI. 705.

77) Serv. ad V. G. I, 336. Unde etiam (Saturnus Deus) primus senex fingitur, nam senes semper novimus esse gelidos. II, 484. Unde et senes, in quibus iam friget et pueri in quibus necdum calet, minus sapiunt. — Quare in adrogationibus cognitio vertebatur, num forte minor sexaginta annis sit, qui adrogabat, quia magis liberorum creationi studere debebat L. 15. §. 2. D. de adopt. et emanci. (1. 7).

78) Serv. ad V. A. VI, 82. Defuncto autem, liberato. Nam dicimus functos officio, qui officia debita (cf. supra) compleruut. Unde est et (in) honoribus functi: hinc et defunctos mortuos dicimus, qui compleverunt vitae officia; cf. Fest. s. v. Sexagenarii. — Sed exploratissimum illud est causae quo tempore primum per pontem coeperunt comitiis suffragium ferre, iuniores conclamaverunt, ut de ponte deiicerentur sexagenarii, qui iam *nullo publico munere* fungerentur, ut ipsi potius sibi, quam illi, deligerent imperatorem. Cf. Ovid. Fast. V. 633. Cic. pro Roscio c. 35. Habeo etiam dicere, quem contra *morem maiorem* minorem annis LX de ponte in Tiberim deiecerit. Mac. Sat. I. c. 5. Sen. de brev. c. 4. 20. Sexagesimus annus ab *officio* me dimittet. Lex — a sexagesimo anno senatorem non citat. —

79) Edid. Gothofr. p. 509. Gens i. e. *series maiorum*. Series maiorum per imagines ad posteros translata est. Imaginibus autem gavisi sunt, qui sella curuli insignes erant, ergo Patricii. Tota haec stirpis repraesentatio per imagines stemma gentile vocabatur, hinc *imagines maiorum* in funere patricio praeferebantur. — Maiores graece *προγονοι* dicuntur, cf. Dion. Hal. XI. p. 718.

tiles ergo sunt agnati qui ab tritavi progenitoribus descendunt. Familia [80]) ergo s. str. liberis hominibus dicebatur cuius dux et princeps vocabatur pater et materfamilias. Communi iure omnium agnatorum familiam dicimus, ut Ulpianus refert [81]), quae ergo sex gradus complectitur, quorum singula membra ex eadem domo principeque prodierunt. Hi necessarii erant, quia, his defunctis, familia periit; inter eos

80) Familiae vocis etymon in Osca seu Tusca et Graeca lingua latet. Nam famuli origo, ut Festus narrat, ab Oscis dependet, quorum autem lingua duo elementa ut Tusca, Ottf. Müllero autore, continet. Apud Oscos servus famel nominabatur. Syllaba enim el Tusce al, quae in Romanis sacris e. g. Fatugal, Volcanal, Compital aliisque sacris locis saepissime invenitur, semper ut ex hebraica lingua clarum est ad sobolem atque genus pertinet; divinum enim in uberrima generatione antiquissimis populis apparuit. Familia autem proprie dicebatur series hominum eiusdem *generis*, qui singuli familiares appellabantur, a Graeco ὁμιλια. Ὁμιλια autem venit ab ὅμος et ἴλος, ἴλη; ὁμεω i. e. coniungere; ἴλος (el) turba. Ὁμος autem est ὅ μος i. e. *mos*, concubitus, individua vitae *consuetudo*, ut supra monui. Ὁμιλια ergo, apud Aeolos Ϝομιλια, hinc apud Romanos *familia*, est series *liberorum* hominum eiusdem *generis*, nam per *liberos* genus propagabatur. Cum autem servi, captivis exceptis, antiquitate originem, ut sacra scripta quoque docent, saepissime a familiae principe ducerent, — quam ob causam servi i. e. pueri (παις, ποϊϱ Parsarum lingua pur, pos, Schachpur i. e. regis filius cf. Dr. B. Dorn, Ueber die Verwandtschaft des persisch-germanischen und griechisch-lateinischen Sprachstudiums. Hamburg 1827) a principis nomine dicti sunt, ut Marcipor. cf. §. 27. Nota 130. — familiae appellatione etiam servi continebantur.

81) L. 195. D. de V. S.

82) Necessarios s. str. cognatos et affines *eiusdem familiae* fuisse iam supra docui; quod etiam his argui potest. Viri enim in osculis uxoris et parentis defecerunt, parentibus unice in votis fuit, ut a liberis iis officium opprimendorum osculorum contingeret cf. Aus. Parent. c. 23. Suet. Aug. c. 91. Senec. Contr. 9. c. 4. Pl. H. N. XI. c. 37. Silius Stat. in funere Pauli ait:

quoque matrimonium prohibitum, quod tamen initum secundum ius Patriciorum gentium incestum fuit [83]). — Posteriores [84]) i. e. trinepotum filii et deinceps suam originem e familiae principe derivari non potuerunt, quia tritavus eorum, parens esse non potuit, ideoque hi ex hac familiae nati tritavi potestati haud amplius subiecti erant; nam hoc naturae contrarium fuit. Cum autem per tritavi descendentes virilis sexus cohaererent etiam cum eius progenitoribus sanguine coniuncti erant, quod hi cum tritavo ex eodem genere orti sunt. Variae familiae [85]) deinde exortae quae ab eiusdem *ul-*

Non *coniux native* aderant, non iuncta propinquo
Sanguine turba virum: aut celsis de more feretris
Praecedens prisca exsequias decorabat imago.

et Serv. ad V. A. VI. 223. *More* parentum propinquioribus enim *virilis sexus* dabatur officium feretrum deferendi. Cf. Plin. H. N. VII. c. 44. — L. 5. §. 2. D. de agnosc. et alend. liber. (25, 3). — Hanc ob causam sui et necessarii dicuntur, nam sui ipso iure heredes ad genus propagandum necessarii erant, ut ceteri necessarii i. e. agnati cum uxoribus. *Necessarii* autem, non *extranei* seu *extrarii* i.e. qui *extra focum, sacramentum iusque* erant, aut ex *altera terra* (cf. Fest. s. h. v.) ipso iure heredes erant. — Hinc *extraneus cognato* seu *necessariis* personis opponitur. L. 16. D. de reb. auct. iud. (42. 5). L. 1. 6. D. de lib. causa (40, 12).

83) Cf. L. 8. et ult. D. de ritu nupt. (23. 2) L. 5. §. 1. D. de cond. sine causa (12. 7).

84) Serv. ad V. A. III. 165 (quae verba in edit. Lion. desiderantur) et *minores* quoties ex *genere* dicimus. Briss. s. v. maior 3. hinc maioribus plerumque posteri opponuntur. Serv. ad V. A. VIII. 268. Ergo minores accipimus pro *deinceps.* (cf. Nota 63) vel certe minores, cum quibus vivit, quia ipsum constat esse longaevum.

85) Tac. Ann. III. 76. tradit, lecto Iuniae viginti clarissimarum familiarum imagines antelatas fuisse. Idem in funere Drusi: funus imaginum pompa maxime illustre fuit, cum origo Iuliae gentis Aeneas omnesque Albanorum reges, et conditor urbis Romulus, post Sabina nobilitas, Atta Claudius ceteraeque Clau-

timi genitoris sanguine proficiscebantur; quae omnes ex eodem genere eiusdem nominis originem ducebant.

§. 24.

Sacra autem unius generis ergo cum hereditate ad singulas familias transibant. Aedis autem principis familiae macerie post eius obitum destructa, sui heredes agrum paternum incolebant, et heredium [86]), familia divisa, accipientes, tunc patresfamilias in suis familiis sacra fecerunt. Deinde cum ex eadem domo eademque gente multae familiae denuo in novas stirpes abirent [87]) factum est, ut sui heredes haec sacra conservarent, quae ex eadem domo originem ducebant, ex qua gente ipsi orti sunt [88]). Nam omnes familiae, quae per agnatos ex eodem duce et principe certi generis originem ducebant, huic Lari communi parentaverunt. Haec fuere sacra gentilitia [89]). Ad haec sacra gentilitia omnes gentiles convenerunt. Sacra enim privata sunt, quae pro singulis hominibus, familiis, gentilibus fiunt [90]).

---

diorum effigies longo ordine spectarentur. Cf. L. 195. §. 4. D. de V. S.

86) Varro de re rustica I. c. 10. quae quod heredem sequerentur, heredium appellarunt. Fest. *heredium*, praedium parvulum; et s. v. Herem Marteam antiqui accepta hereditate colebant, quae a nomine appellabatur heredem. *Heres* apud antiquos pro domino ponebatur. Hinc Herceus Jupiter intra conceptum domus cuiusque colebatur, quem etiam Deum penetralem appellabant.

87) L. 195 §. 4. D. de V. S.

88) Qua ex causa saepe familia pro gente ponitur Liv. II, c. 49 et Domus pro familia Serv. ad Virg. Aen. IX, 448.

89) Dionys. Halic. IX. p. 578 sq. —

90) Fest. s. v. Publica sacra.

Quae Festi definitio adumbrationi nostrae respondet; nam privatae feriae vocantur sacrorum propriorum ut dies natales, operationis, denecales [91]). Hae feriae ad familias singulas attinent, ex quibus tantum paucis verbis denecales attingamus. Nam *denecales* feriae colebantur cum *hominis mortui* causa familia purgabatur [92]). Familiae igitur, principe mortuo sive membro quolibet familiae defuncto, iustisque ab heredibus factis, domum necessarii reversi funebri convivio excipiebantur, postquam, prius in flumine vivo abluti, se a pollutione funeris purgaverant. Nono deinde die, postquam funus elatum esset, celebrantur sacra novemdialia, domus denique funesta purgabatur denecalibus (Graeci enim *νέκυν* mortuum dicunt) et exverriis. In hoc officio igitur necis potestas patrisfamilias posita fuit [93]). Discrepant ab his sacris, quae cuique familiae propriae erant, sacra gentilitia, quae

---

91) Fest. s. v. Privatae feriae.

92) Fest. s. v. Denicales feriae. — Nostra sententia confirmari videtur ex Cic. verbis de leg. II. p. 322. Nec vero tam *denecales*, quae *a nece* appellatae sunt, quia residentur mortuis, quam ceterorum caelestium quieti dies, Feriae nominarentur, qui ex hac vita migrassent, in deorum numero esse voluissent. Cf. Creuzers Abriß cit. §. 316. — Colum II, c. 22. Nos apud Pontifices legimus tantum Denecalibus mulos iungere non licere, caeteris licere. Gell. N. A. XVI, c. 4. Denique ita concipiebatur iusiurandum, ut adessent, his additis exceptionibus, nisi harumce causa erit, funus familiare, feriaeve Denecales. — Quibuscum Naenia cohaeret, carmen quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam cf. Fest. s. h. v. Gloss. Neniae *ὕμνοι ἐπὶ τῶν νεκρῶν*. Quinct. VIII. c. 7.

93) Cui necis potestati in ultimis temporibus valde respondet ius vitae. L. 234. D. de V. S. Verbum *vivere* quidam putant ad cibum pertinere: sed Ofilius ad Atticum ait, his verbis et vestimenta et stramenta contineri: sine his enim vivere neminem posse.

omnibus eiusdem gentis familiis communia erant. Ad haec sacra omnes gentiles convenerunt, Lari communi parentantes [94]. Quae sacra Lari gentili, gentilibusque Laribus pro sospitate singularum familiarum, ut ego puto, in *compitalibus* viis facta sunt. Sin autem gentiles et consanguinitate et sacris communiter coniuncti erant, quaeritur an eorum aedificia intra certos fines condita fuerint, quod ex Aeliis confirmari posse videtur. Nam consanguineos antiquissimis temporibus — antequam a Servio Tullio Romana urbs muro circumducebatur — in agro paterno vicinos fuisse, quia in oppido privo iuxta viam aedificia, iam supra probatum est. Gentiles igitur aedificia iuxta compita posuisse videntur; nam festa compitalia pro *sospitate familiarum* celebrabantur [95], ut lares, gentilium mortui patres viventibus parcerent, ut familiae florerent. Quia ex veterum opinione vita beneficia tantum et delicias dedit, mors autem omnium voluptatum finis erat, credebantur Lares, quos fatum e vita eripuerat, invidioso animo viventes persequi. Hinc, quia vita veterum sententia in sanguine constabat, gentiles pueros i. e. servos [96] mactabant, ut mortuorum animas placarent [97]. Hae caerimo-

---

94) Ad hoc referenda sunt Ciceronis verba e moribus hausta; cf. de leg. II, 8. Lucos in agris babento et larum sedes: ritus familiae patrumque servanto, ibique II, 11. Neque ea, quae a maioribus prodita est cum dominis tum famulis posita in fundi villaeque conspectu, religio Larium repudianda est.

95) Compitalia dies adtributus *Laribus*, ut alibi; ideo ubi viae competunt, tum in compitis sacrificatur. Varro l. l. p. 49; cf. Macr. Sat. I. c. 7. ut pro fsmiliarum sospitate pueri mactarentur Maniae Deae Matri Larum cf. Fest. s. v. Pilae.

96) L. 204. D. de V. S. Pueri appellatio tres significationes habet: unam omnes servos pueros appellamus etc. Cf. Fest. s. v. Puer.

97) Serv. ad Virg. Aen. XII, 606. Moris fuit apud veteres, ut ante

niae sub Servio Tullio atque Junio Bruto mutatae sunt, quod explicandi sacri iuris est; attamen aptissimum mihi videtur, Dionysii relationem exscribere. Eius [98]) verba latine haec sunt: „Deinde per omnia compita mandavit (Servius), ut *viciniae* sacellum lignea dedicarent *geniis compitalibus* et quotannis eis sacra facerent, non ingenuos sed servos [99]) adesse ac ministrare voluit, quasi geniis illis gratum esset servorum ministerium: qui omni servitutis nexu per eos dies liberantur, ut humanitate ista, cui magnum quid et venerandum inest, mansuetiores redditi, dominos cariores habeant et levius suae fortunae inclementiam.

§. 25.

Ut igitur breviter ab huius dissertationis incunabulis nec non ab ultima rei publicae Romanae antiquitate familiare Patriciorum nexum repetam, patrem matremque familias principem ducemque gentis invenimus, qui in privo oppido aedem sublimi loco condiderunt. Aedis in fundo a principe familiae nominato macerie portaque [99a]) defendebatur. Filii puberes vetusta lege uxores ducentes in fundo familiari praedium accipientes, habitationesque aedificarunt. Hinc vici orti, qui a gentis principe nominati sunt. Liberorum progenies, eodem modo sibi domicilia condiderunt. Locus autem ubi viae singulae competunt,

---

rogos humanus sanguis effunderetur vel captivarum vel gladiatorum etc. Cf. Laur. de mens. l. c. p. 182.

98) Dion. Hal. IV. p. 210.

99) Servi, quos Dionysius commemorat, erant servi publici sive plebeii. Quod iam e formulae conceptione de *compitalium feriis* intelligi potest, si Niebuhrii coniecturam de Quiritibus his verbis adiicias: Die Noni *Populo Romano Quiritibus* compitalia erunt, quando concepta fuerunt nefas. Gell. N. A. X. c. 24.

99a) Fest. s. v. Portum.

compita dicebantur [100]). Hic locus singulis familiis eiusdem gentis communis erat. Non ergo a veritate abhorret, si hunc locum aedem generis principis initio fuisse contendimus: nam post patrisfamilias decessum, sui, macerie diruta, fundum in aequales partes diviserunt. Fortasse, cum aedis e solo et superficie constaret, superficie [101]) diruta, solum autem cum foco atque fonte sive puteo, in quo mortuus princeps familiae sepeliebatur, religiosus fuit, et hic *locus* atque *deinde lucus* sedes Larium factus est [102]). Locus autem ubi multae viae in unum confluxerunt compitum appellabatur [103]). Ut autem vici ab gentilitio nomine dicti, non minus compita, quod veterum scriptis probari potest. Cassius Hemina ex antiquis autor est, „primum e medicis venisse Romam Peloponnensem Archagathum Lysaniae filium, L. Aemilio, M. Livio Conss. anno urbis DXXXV. Eique ius Quiritium datum et tabernam in *compito Acilio* emptam [104]).“ Ob hanc causam Acilii i. e. gentiles ex genere Acilio orti mox Aesculapium mox Valetudi-

---

100) Serv. ad Virg. Georg. II, 382.

101) Superficies appellatur, quidquid super solum exsistit. Cum autem focus in solo fuit, verisimile esse videtur, domicilium (faciem aedis) supra focum superficiem dictum esse, cum familia ad focum faciebat i. e. sacra dedit.

102) Saepissime locus qualiscumque ob *pietatem* consecratus est; cf. e. g. Plin. H. N. VII, 36.

103) Compita autem antiqui appellant ab eo, quod multae viae in unum confluunt, compita enim quadriviae erant. Compita ut — placet, locus ex pluribus partibus in se vel in easdem partes ex se via atque itinere dirigens, sive is cum ara sive sine ara sive sub tecto sive sub dio sit, ubi pagani agrestes buccina vocati, solent certa inire concilia. Hinc et lares compitalitii et feriae compitalitiae Phil. in Virg. Georg. II, 388.

104) Plin. H. Nat. XXXIX. 1.

nem in nummis ponebant [105]). Quibuscum conferendum est, quod Festus dicit: Novae curiae proxime *compitum Fabricium* aedificatae sunt [106]). Lares compitalitii etiam *viales* [107]) merito dicebantur, qui manes piorum erant: nam in lucis habitabant manes piorum [108]). Pium autem est epitheton patris. Quid enim est pium nisi castum, quoniam piare est propitiare [109]). Manis igitur defuncti patrisfamilias, ut Lar placido numine domum stirpemque suam propitiet [110]), ut in aeternum perduret [111]).

§. 26.

Ex sepulcri denique iure affirmandum mihi videtur gentiles non solum solennium vinculo communium

105) Creuzers Mythologie und Symbolik II. p. 415.

106) Fest. s. v. Novae curiae.

107) Cf. supra §. 8.

108) Serv. ad Virg. Aen. III, 302. Cf. supra §. 14. Not. 69.

109) Serv. ad Virg. Ecl. VIII, 82; ibiq. ad. V. Aen. I, 378. — Ceterum compitalia autem in animum reducent *Complices* sive Etruscorum *Consentes*, secundum Varronem ita dictos, quod simul nati erant, simulque perierunt. Hi Dii consereнteis (Arnob. V. 18) iidem in consilium Jovis adhibiti: sunt affines et cognati; iidem qui necessarii appellabantur.

110) Pilae et effigies viriles et muliebres ex lana *compitalibus* (in compitis) quod hunc *diem festum Deorum inferorum:* quos vocant Lares, putarent, quibus tot pilae, quot capita servorum, tot *effigies*, quot *essent liberi*, ponebantur, ut *vivis* parcerent et essent his pilis et simulacris contenti. Fest. h. v.

111) Non praeteribo unum foci exemplum, Romanis literis clarum: Tarquinio Prisco regnante tradunt repente in foco comparuisse genitale e cinere masculini sexus: eamque quae insederat ibi, Tanaquilis reginae ancillam Ocrisiam captivam, consurrexisse gravidam. Ita Servium Tullium natum, qui regno successit. Inde et in regia cubanti puero caput arsisse visum, creditumque Laris familiaris filium. Ob id compitalia et ludos Laribus primum instituisse. Pl. H. N. XXXVI, 27.

colligatos esse, sed priscis temporibus etiam sanguine. Fratres enim sororesque ex eodem sanguine orti, consanguinei et consanguineae appellati sunt. Confarreatione autem sorores participes viri bonorum atque sacrorum factae sunt, quia, ut liberi uxores ducerent, novam aedem aedificarunt. Qua ex causa affines i. e. nuri, et cognati i. e. qui ex familia orti, necessarii dicti, quia paterfamilias in hos praeter omnes necessaria officia contulit, ne familia exstingeretur. Qui autem contra haec officia aliquid egit, *inofficiosus* fuit et iniuriam commisit [112], nam *contra bonos mores* sive contra rem publicam egit [113]. Nova nupta e sua familia egrediens post obitum in mariti familiare sepulcrum ingerebatur, quia confarreatione sacra utriusque coniungebantur. Nam veteres naturam omnium rerum genetricem putarunt; hinc divinam vitam in gignendi principio vigere existimabant. Ex hac ratione aedis eorum fuit domus viventium et mortuorum [114]), nec minus lex antiqua, qua, qui per aetatem poterant [115]) uxores ducere, cogebantur, diligenter a maioribus observata

112) Elegantior huius expositio ad ius hereditarium pertinet; cf. interea tit. Dig. de inoff. testam.

113) Cf. e. g. Burchardi Grundzüge p. 274 sq. et §. 23. Nota 73.

114) Hinc dicitur: aedem condere et rite manes condere animamque sepulcro condimus. Serv. ad Virg. Aen. III, 68.

115) Mac. Sat. I, 6. Post annos autem bis septem ipsa aetas necessitate pubescit. Tunc enim moveri incipit vis generationis in masculis, et purgatio foeminarum. Ideo et tutela pueris, quasi virile iam robur absolvitur de qua tamen foeminae propter *votorum* festinationem maturius biennio legibus liberantur. — Mac. Sat. VII. c. 7. in Somnio Scip. I. c. 6. Quinct. Dec. 279. Isid. Orig. XI. c. 2. Cf. supra §. 5. Nota 37. At Plebeiorum ratione pueri existimabantur qui minores essent annis septemdecim; ab anno septimodecimo idonei demum rei publicae arbitrati sunt. Gell. N. A. X. c. 28.

est, ut Dionysius affirmat [116]), quare defuncti eiusdem familiae, sanguine sive sacris coniuncti in eodem sepulcro sepeliebantur [117]). Cicero [118]) enim dicit: Jam tanta religio est sepulcrorum, ut extra sacra et gentem, fas negent esse: idque apud maiores nostros A. Torquatus in gente Popilia iudicavit. Gentiles ergo, sive personae quae per virilis sexus personas variarum familiarum ex eadem domo eodemque genere [119]) originem ducebant, sacris et sanguine coniunctae, sacra gentilitia in compitis facientes, ad monumentum gentilitium pertinebant [120]). In haec gentilitia sacra neminem mortuorum inferre licebat, qui extra sacra gentemque erat [121]). Quaeque gens sua sacra vario modo curavit, sicut officia caerimoniaeque

---

116) Dion. Hal. IX. p. 580. Cf. etiam Plut. Comp. Lycurgi cum Numa. Romani natas XII annos et minores iungunt nuptiis; ita potissimum corpus et mores puros illibatosque in manum viri censentes perventuros.

117) *Hereditaria* sepulcra fuerunt, quae quis sibi heredibusque suis constituit, vel quae paterfamilias iure hereditario acquisivit, quae etiam alio nomine *sepulcra maiorum*, *gentilitii tumuli* vocabantur; at familiaris sepulcra, quae quis sibi familiaeque suae constituit.

118) Cic. de leg. II, 25. p. 259 de offic. I. Magnum est eadem habere *monumenta maiorum*, *iisdem* uti *sacris*, *sepulcra* habere *communia*.

119) Dion. Hal. XI. p. 696. IX. p. 578 sq.

120) Gentis appellatione, ut rectissime Chladenius monuit, universitas civium Romanorum ingenuorum, qui ab eodem primo stipite cive Romano ingenuo (i. e. patricio) per masculos descendunt, cum stipite communi.

121) Plin. H. N. XXXV. c. 2. Extat Messalae oratoris indignatio, quae prohibuit inseri *genti suae Levinorum* (?) *alienam imaginem*. Similis causa Messalae seni expressit volumnia illa, quae de familiis condidit, cum Scipionis Africani transisset atrium, vidissetque adoptione testamentaria Salutionis, hoc enim ei fuerat cognomen, Africanorum dedecore notam irrepentem Scipionum nomini.

varie ab iis perficiebantur [122]. Gentiles autem antiquissimis temporibus ab religiosis veterum institutis, ergo ab more maiorum discedere nefas, quod tamen, religiosa vita a libera re publica depressa, fiebat. Qua ex causa Plinii narratio magni momenti est [123]. „Ipsum cremare, apud Romanos non fuit veteris instituti, terra condebantur. At postquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tunc institutum. Et tamen multae familiae priscos servavere ritus: sicut in Cornelia domo [124]) nemo ante Syllam Dictatorem traditur esse crematus“ [125]. Totum denique autem hoc ex antiquis erutum fragmentis ius ad Patricios pertinere et si ab ultima antiquitate repetemus, ad Etruscos extra omnium dubium positum esse videtur, quod paterfamilias dux et princeps generis nominatur [126].

---

122) Jam quidem et transrhenani hostes, nec pulchriorem aliam vestem eorum foeminae novere. Qua admonitione succurrit quod M. Varro tradit, in Serranorum familia gentilitium esse, foeminas linea veste non uti. Plin. H. N. XIX. c. 1. — „Serrana familia gentis Atiliae erat.“ — In Quinctiorum vero familia, aurum ne foeminas quidem habere *mos* fuerit Plin. l. c. XXIII. c. 1. Hinc mos gentium Plin. l. c. VII. c. 16.

123) Plin. l. c. VII. c. 54.

124) Val. Max. XIII. c. 16. narrat: imaginem Cornelii Africani superioris, in cella Jovis positam, quotiescunque *munus* aliquod *Corneliae gentis* celebrandum esset, inde petitum, et superioris Catonis effigiem ad eius *generis officia*, curia expromtam fuisse.

125) Cf. supra §. 4.

126) Hisce scriptis, cel. Outfr. Mülleri, die Etrusker, Breslau 1828 et Dr. K. L. Blum, Einleitung in Rom's alte Geschichte. Berlin und Stettin 1828 accepi, in quibus quamvis plura sunt nova et certe vera exposita tamen nil inest, quo ad mutandam sententiam commovear, at plurima in hac disputatione affirmantur, nec non cl. Mülleri commentariis antiquissimum familiare Patriciorum nexum cum Tuscis moribus cohaesisse probatur.

Nam Patricii saepissime in veterum scriptis Principes nominantur [127]), ut apud Etruscos familiae capita principes ordinis et generis dicuntur ut in libro Tarquinii transcripto ex ostentario Tusco invenitur [128]).

Errat autem doct. vir, ut mihi videtur, de genii disciplina apud Tuscos p. 89 cum excultiorem sensum, ad animam spectantem etiam vetustissimae Etruscorum theologiae supponat. — Doct. Blum elegantissime duplicem rationem, quam supra ut vitam mortemque, diem et noctem, bonum et malum (bonos et malos mores), superos et inferos Deos attigi, in antiquissima Roma sub Romuli atque Remi imaginibus explicuit.

127) E. g. Cic. de republ. I. 6. p. 267. princeps Corneliae gentis. Plin. H. N. XXXV. c. 4. Si quidem cognomina ex ea pictorum traxerunt Fabii clarissimae gentis, princepsque eius cognominis ipse aedem Salutis pinxit etc. Plin. l. c. XXXIII. c. 1. Cn. Flavius publicatis diebus fastis quos populus a paucis *principum* quotidie petebat, tantam gratiam *plebis* adeptus est. Cic. de re publ. II. 37. erat penes *principes* tota res publica etc. Serv. ad Virg. Aen. V, 160. Cic. de leg. III, 11. Principes non solum Senatores sed patres i. e. patricii. cf. Fest. s. v. familia. — Principes sive patricii etiam proci in descriptione classium quam fecit Servius Tullius appellantur; nam proci dicuntur, Festo referente, qui poscunt aliquam in matrimonium. Procare, ut mihi videtur, est procreare, ergo proci, qui procreandi causa uxorem in matrimonium poscunt, quarto decimo finito.

128) Mac. de Sat. III. c. 7. Est super hoc liber Tarquinii transcriptus, ex ostentario Tusco. Ibi reperitur: purpureo aureove colore ovis, arrieave si aspergetur, *principi ordinis et generis* summa cum felicitate largitatem auget, *genus progeniemque propagat in claritate, laetioremque efficit* etc. Cf. Mülleri l. c. p. 362. Contra autem etiam solennia in funeribus ad Etruscos referentur, nam Hyginus recitat c. CLXXIV, hoc sensu: A Tyrrheno Herculis filio institutum, ut cum sepelirentur mortui, populus sono conchae pertusae convocaretur et cerneret iam non Tyrrheni comites *ανθρωποφαγειν* ut ante: sed sepelire. Quod exemplum hodie Romani observant et cum aliquis decedit, tubicines cantant et amici convocantur, testandi gratia eum neque *veneno* neque *ferro* periisse. — Tubas autem ab Etruscis in-

§. 27.

Cur autem totum gentilitium ius in desuetudinem abierit [129]), quomodo clientes ac libertini ad gentem pertineant, quamvis nunquam gentiles eminentiore sensu, et qua ex causa posterioribus temporibus in gente patricia et plebeii inveniantur [130]), nón minus quare gentiles non solum sanguine et sacris coniuncti, sive *eodem*, ut Cicero dicit, sed *simili* nomine, ut Festus refert [131]), est supervacuum hoc loco curiosius tractare, quia his quaestionibus eximio studio atque doctrina doctissimi nostrae aetatis iurisconsulti iam satisfecerunt [132]). Finis etiam huius libelli nimis ex-

ventas funeribus duntaxat indictivis i. e. Patriciis adhibitas, colligi potest ex cel. Kirchmanni de fun. Rom. libro 1672. p. 122.

129) Gains com. III. §. 117. I, §. 164. Nota 47.

130) Liv. XXII. c. 19. refert: praemiorum Fecenniae Hispalae libertae, quae Bacchanalia detulisset datorum unum fuisse hoc, quod „gentis enuptio" ei concederetur. Cic de Orat. I. §. 39. Clarissimus Hugo eos, quibus iura gentilitia non competerent, gentilitios vocatos esse coniicit, quoniam in leg. Mos. et Rom. Coll. XVI 4. haec verba inveniuntur. Intestatorum *gentilitiorum* hereditates pertinent etc. at ii, qui heredes sunt, vocantur semper gentiles. Cf. nunc autem eiusdem Rechtsgeschichte decima ed. 1827 p. 232. sq. et Zimmern: Geschichte des Römischen Privatrechts 1827 §. 230 Nota 18.— Cf. Plin. H. N. XXXIII. c. 1. Singuli Marcipores Luciporesve *dominorum gentiles* omnem victum in promiscuo habebant nec ulla domi custodia a domesticis opus erat. Fest. s. v. Quintipor. — Niebuhrii: Römische Geschichte 1827. p. 335.— Fest. s. v. Aureliam familiam; contra Liv. VIII. c. 18.

131) Fest. s. v. Gentilis dicitur et ex *eodem* genere ortus et is, qui *simili* nomine appellatur. Cic. Top. c. 6.

132) De his, ut verbis parcam, consulenda praeter supra iam laudatos praecipue Hugonis cl. Rechtsgeschichte ed. 10. l. c. et Chladenius l. c. p. 10. nec non cl. Mühlenbruchii diss. de veter. Romanor. gentibus et familiis. Rost. 1807, quam autem inspiciendi copia mihi non fuit.

tenderemus, si omnia his rebus connexa fusius perlustremus, quamvis in variis his describendis desultoria fortasse levitate versatus sum. —

Ex his paucis neminem tamen fugit familiae Patriciorum iura in sacro iure fundata esse, eaque ex hoc in lucem proferri debere, non minus, ut spero, tempora in explicando iure diligenter distinguenda esse, quod historica methodo, etymologia adhibita, solum effici possit. Communi autem nostrae aetatis labore atque studio iura gentium tam antiquioris quam recentioris aevi a primis inde cunabulis ab alta caligine, qua humanae divinaeque res adhuc premebantur, sensim sensimque liberantur. Quam multa iam per omnium bonarum artium magistros praeclarissimos doctissimosque facta sint, omnes scimus. Nostra aetas igitur hanc metam sensim assequetur, quod gentium mores, leges, ceteraque instituta, suo quaeque tempore spectata explicare coepit. Si ergo haec pauca lineamenta vobis, doctores fautoresque, non omnino esse reiicienda videntur, cetera, quae, quamvis paucis auxiliis instructus, tamen assiduo animo otioque de his priscis iuris institutis extricavi, laetis temporibus praebere audebo.